CATHOLIC BOOK AGENCY
PIAZZA PONTE S. ANGELO, 28
ROME (ITALY)

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/adcodicemjvrisca0003vari

AD

CODICEM IVRIS CANONICI

BENEDICTI XV PONT. MAX.

AVCTORITATE PROMVLGATVM

COMMENTARIA MINORA

CONCINNAVIT

DOCT. ALBERTVS TOSO
ECCL. CATHEDR. OPPIDEN.
CANONICVS

LIBER II. DE PERSONIS

PARS I — TOMVS III.

« Justitiam namque colimus, boni
et aequi notitiam profitemur ».
ULP.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library



348.1
T64

ROMAE
IVS PONTIFICIVM
PIAZZA SS. APOSTOLI, 51
MCMXXV

28702

IMPRIMATUR

Romae, 30 iun. 1925

Fr. Albertus Lepidi, S. Palatii Ap. Magister

IMPRIMATUR

Romae, 30 iun. 1925

† *Josephus Palica*, Ep. Tit. Philippen., Vicesgerens

Omnia iura proprietatis vindicabuntur

(387) Romae — Ex Officinis Polygraphicis — MCMXXV

DE PERSONIS

TOMVS III.

CAPUT IV.

DE CURIA DIOECESANA.

Can. 363.

§ 1. *Curia dioecesana constat illis personis quae Episcopo aliive qui, loco Episcopi, dioecesim regit, opem praestant in regimine totius dioecesis.*

§ 2. *Quare ad eam pertinent Vicarius Generalis, officialis, cancellarius, promotor iustitiae, defensor vinculi, synodales iudices et examinatores, parochi consultores, auditores, notarii, cursores et apparitores.*

1. Cum multa sint genera negotiorum, quae ad regimen dioecesis pertinent; cum praeterea nostra hac aetate fere omnia sint scripto exaranda ac partibus litigantibus vel, utcumque, interesse habentibus mittenda vel tradenda, cumque non oporteat Episcopum tot rebus minimis obrui; cum denique opportunum videatur, ut ne impedito quidem Episcopo negotiorum gestio languescat: inde necessitas Curiae dioecesanae. Haec equidem, si rerum substantiam consideremus, Ecclesiae Episcopis nunquam defuit. Unde D. Paulus (*ad Philem.*, 24) meminit Marci, Aristarchi, Demadis atque Lucae *adiutorum suorum*. Ecclesiis postea cathedralibus erectis, munus Episcopum adiuvandi penes *presbyterium* fuit, de quo D. Paulus loquitur ad Timotheum scribens (I *ad Tim.* IV, 14), quodque deinde Capituli cathedralis nomine venit. A saec. V Curiae dioecesanae moderatio ad Archidiaconos delata, quibus a saec. XIII Vicarii generales paullatim suffecti sunt, ut postea videbimus. Haec antiquitus; modo videamus de ratione Curiam dioecesanam constituendi ad tramitem iuris in Codicem nostrum recepti.

2. *Curia dioecesana constat* etc. — Quilibet Episcopus, eodemque modo Vicarius ac Praefectus Ap. (cfr. can. 304, § 1) necnon Abbas ac Praelatus *nullius* (can. 323, § 1), locorum personarumque ratione habita, ad constituendam sibi Curiam tenetur, quae sibi aliive qui sui loco territorium regit (veluti Administatori Ap., Capitulo cathedrali, Vicario capitulari, Provicario vel Pro-praefecto Ap. aut in vicariatu vel praefectura seniori) opem praestet.

3. *Quare ad eam pertinent*, etc. — Legislator officia recenset, quae, iure nostro, ad plenissimam Curiae dioecesanae constitutionem pertinent. Non tamen omnia, uti postea apertius videbimus, necessaria sunt ut Curia substantialiter erecta censeatur: est enim personarum atque locorum

ratio habenda. Vicissim hisce officiis potest Episcopus praeter ius commune addere alia, veluti Vicarii monialium, revisoris librorum edendorum etc., prout dioecesis necessitates exigant ac circumstantiae sinant.

CAN. 364.

§ 1. *Nominatio eorum qui praedicta officia vel munera exercent, scripto consignetur, ad normam can.* 159.

§ 2. *Nominati vero debent :*

1. *In manibus Episcopi iusiurandum praestare de munere fideliter exercendo quavis personarum acceptione posthabita ;*

2. *Negotia ad se spectantia sub auctoritate Episcopi tractare ad normam iuris ;*

3. *Secretum servare intra fines et secundum modum a iure vel ab Episcopo determinatum.*

1. *Nominatio eorum qui praedicta* etc. — Jubet can. 159 cuiuslibet officii ecclesiastici provisionem esse scripto consignandam. Nullam canon clausulam irritantem continet neque expressam neque aequipollentem: quare, ad normam can. 11 censendus est Episcopus teneri quidem eius canonis praescripto, ita tamen ut, etiamsi scripto consignare neglexerit, nominatio valeat, dummodo facta sit modo naturaliter sufficienti.

2. *In manibus Episcopi iusiurandum* etc. — Neque iusiurandum huiusmodi necessarium est, eadem de causa, ad validum muneris exercitium : auctoritas namque ad id necessaria ex nominatione oritur. Duo autem iusiurandum continet : 1) Propositum collatum munus fideliter exercendi, idest omnimoda animi sinceritate, iuxta normas ab Episcopo traditas ; 2) exercendi absque ulla personarum acceptione : quod quidem et iustitiae administrandae necessaria conditio est et magistratuum ecclesiasticorum omni tempore nobilissimum extitit ac peculiare ornamentum.

3. *Negotia ad se spectantia*, etc. — Curialium est negotia ad se spectantia ad normam iuris tractare : et hoc planum, secus namque aut invalide aut saltem illicite agunt; deinde ea tractare sub auctoritate Episcopi: idque est fusius declarandum. Scilicet habetne Curia dioecesana suam iuridicam personalitatem ab officio episcopali distinctam ? Non videtur : quandoquidem nihil aliud est quam necessarium complementum officii episcopalis. Ideoque de iis, quae a Curia, imo a quolibet curiali *ratione officii* sibi commissi, aguntur, Episcopus in primis tenetur. Nimirum tenetur Episcopus de actibus non ad iuris normam peractis, necnon de damnis iniustis ex iis forte consequentibus. Proinde causae contra Curiam dioecesanam aut contra curialem institutae, contra Episcopum institutae censentur, et hinc, etiam in prima instantia, agitari debent apud tribunal appellationis ;

quod si apud tribunal collegiale dioecesanum agitandae sint (cfr. can. 1572, § 2), Episcopus per se tribunali praeesse non potest (can. 1578): idque quia potestas iudicialis exerceri nequit in proprium commodum (can. 201, § 2). Ex adverso habet Episcopus retro-actionem adversus curialem, qui ideo damnum intulerit, quod eius iussa in sui officii exercitio neglexerit aut eius consensus, dum exquirendus erat, non exquisierit.

4. *Secretum servare intra fines*, etc. — Hi fines statuuntur in formula iuramenti, quod, ad normam n. 1, curiales omnes praestare debent (1). Quos fines Episcopus, quamvis restringere nequeat, potest tamen ampliare.

CAN. 365.

De officiali, promotore iustitiae, defensore vinculi, iudicibus synodalibus, auditoribus et apparitoribus, serventur praescripta can. 1573-1593 ; *de Vicario Generali, cancellario aliisque notariis, examinatoribus synodalibus et parochis cunsultoribus, praescripta canonum qui sequuntur.*

Bipartitio negotiorum, scilicet in ea quae ad voluntariam atque administrativam et in ea quae ad contentiosam iurisdictionem pertinent, curialium etiam bipartitionem secumfert. Unde merito de iis curialibus, quibus, Vicario generali praeside, primum iurisdictionis genus commissum est, Codex hic loquitur ; de aliis, quibus praeest Officialis, loquitur in IV libro *de processibus*. Tamen operae pretium quaedam hic innuere existimamus.

Officialis seu iudicis munus quandoque cumulari potest cum officio Vicarii generalis (can. 1573, § 1). Nisi id fiat, munus Officialis eodem fere iure regitur, quoad iurisdictionem contentiosam, ac Vicarii generalis quoad voluntariam atque administrativam. Discrimen autem in hoc positum est : quod Officiali, ut ad munus idoneus habeatur, sufficit peritia iuris et quod, ne administratio iustitiae intercipiatur, vacante sede episcopali a munere non cessat (can. 1573, § 4 et 6).

Natura vero officii promotoris iustitiae ac defensoris vinculi, qui, ad processus validitatem (can. 1587, § 1) in qualibet dioecesi constituendi sunt (can. 1586), saltem in singulis casibus, sed quorum saepe munera in

---

(1) En formula iurisiurandi ab examinatoribus et parochis consultoribus praestandi: *Ego N. N. examinator* (vel *parochus consultor*) *synodalis* (vel *prosynodalis*) *spondeo, voveo ac iuro munus et officium mihi demandatum me fideliter, quacumque humana affectione postposita, et sincere, quantum in me est, executurum ; secretum officii circa omnia quae ratione mei muneris noverim, et maxime circa documenta secreta, disceptationes in consilio habitas, suffragiorum numerum et rationes religiose servaturum ; nec quidquam prorsus, occasione huius officii, etiam sub specie doni oblatum, nec ante nec post, recepturum. Sic me Deus* etc. (*Acta Ap. Sedis*, 1922, p. 142).

una persona cumulari possunt (can. 1588), easdem qualitates exigit ac ac in Officiali a iure requiruntur (cfr. can. 1589, § 1); eodemque modo, sede vacante, officium non extinguitur (can. 1590, § 1).

Deinde in qualibet dioecesi constituendi sunt (can. 1574, § 1) ad decennium (cfr. can. 387, § 1) non minus quam quatuor (cfr. can. 1576, § 3) iudices synodales vel pro-synodales, iisdem ac Officialis qualitatibus praediti (cfr. can. 1574, § 1), ut tribunal collegiale, ad sententiae validitatem (can. 1892, § 1), compleant (can. 1576) vel iudici tanquam adsessores assistant (can. 1575) vel tandem auditoris munere fungantur (can. 1581).

Denique, nisi alia sit probata tribunalis consuetudo, constituendus est saltem pro causa peculiari cursor et apparitor (can. 1591 § 1) : quae tamen munera in una persona, regulariter laica (can. 1592), integrae famae et omni suspicione maiore (can. 373, § 4) cumulari possunt (can. 1591, § 2).

Art. I.

De Vicario generali.

Can. 366.

§ 1. *Quoties rectum dioecesis regimen id exigat, constituendus est ab Episcopo Vicarius Generalis, qui ipsum potestate ordinaria in toto territorio adiuvet.*

§ 2. *Vicarius Generalis libere ab Episcopo designatur, qui eum potest ad nutum removere.*

§ 3. *Unus tantum constituatur, nisi vel rituum diversitas vel amplitudo dioecesis aliud exigat ; sed Vicario Generali absente vel impedito, Episcopus alium constituere potest qui eius vices suppleat.*

1. *Vicarius generalis Episcopi*, ait Card. De Luca (*Rel. Rom. Cur. for.*, VI, 2), *in ordine hierarchico antiquorum canonum non reperitur, quoniam.... antiquitus ea quae Episcopus per se ipsum explicare non poterat, explicabat per duos fixos adiutores seu Vicarios, id munus habentes in dignitatem : per Archidiaconum scilicet temporalia et per Archipresbyterum spiritualia. Sed quoniam casus frequenter dabat diffidentias et inconvenientia inter Episcopum et has dignitates, quae, utpote id obtinentes independenter ab Episcopo ex administratione perpetua et necessaria, atque non pendentes ab eius nutu frequenter contra eum erigebant caput, idcirco paulatim inolevit consuetudo particularis aliquorum Episcoporum, quae deinde effecta est generalis, quod scilicet Episcopus apud se haberet fiduciarium ministrum, qui eius vice multa ad utramque iurisdictionem spectantia explicaret ; atque ita iurisdictio seu potestas Archidiaconi et Archipresbyteri evanuit restrictaque est ad quaedam caeremonialia, adeo ut hodierni quandam solam imaginem antiquae dignitatis*

obtinere videantur. Haec, summatim, origo Vicariorum generalium Episcoporum (cfr. *Jus pont.*, 1923, p. 142).

2. *Quoties rectum dioecesis regimen* etc. — Vicarium generalem soli Episcopi residentiales et qui iisdem quoad potestatem iurisdictionis aequiparantur, nempe Abbates ac Praelati *nullius* (cfr. can. 323, § 1), constituere possunt. Non ita Vicarii et Praefecti Ap. : nam verum quidem est, S. Congr. de Prop. Fide, die 8 dec. 1919 (cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1920, p. 120), facultatem fecisse missionum Praesulibus constituendi, si eo indigeant, Vicarium delegatum, *cui practice concessa sit omnis iurisdictio.... qua ex Codice i. c. uti potest Vicarius generalis in dioecesi ;* sed Vicarius huiusmodi toto coelo distat a Vicario generali Episcoporum : idque, non solum quia eius potestas non ordinaria est sed delegata, ideoque ex iure communi in singulis tantummodo casibus subdelegari potest (can. 199, § 3), verum etiam quia eius consistorium est a consistorio sui Ordinarii omnino distinctum ac proinde contra eius placita semper potest recursus apud Ordinarium interponi. Neque Ap. Sedes ampliorem facultatem facere poterat, cum, uti saepe diximus, ipsi Missionum Praesules Vicariorum generalium iure censeantur quoad R. Pontificem, qui earum regionum, in quibus nondum hierarchia ecclesiastica constituta est, est unicus veri nominis Episcopus. Soli igitur Episcopi residentiales, Abbates ac Praelati *nullius* Vicarium generalem constituere possunt. Scilicet possunt, sed non tenentur, nisi rectum dioecesis regimen id exigat. At quandonam rectum dioecesis regimen id exigere censendum est ? *Si Episcopus*, ait Ferraris (*Bibliotheca*, v. *Vic. gen.*, n. 5-7), *velit causas per se tractare sitque peritus iurista et per se sufficiens ad eas se solo expediendas, praesertim si episcopatus non sit amplus, cogi non potest ad constituendum Vicarium generalem, ut pluries tenuit Rota;... secus vero foret, si Episcopus non esset peritus iurista vel ob vastitatem episcopatus et ingentem causarum molem aut ob aliam causam non esset sufficiens per se ipsum solum ad omnia commode expedienda : quia tunc, ut dictat ipsamet ratio naturalis, tenetur Episcopus Vicarium generalem constituere,... alioquin mittitur illi ab Urbe* (nempe per Ap. Sedem) *....et talis Vicarius est verus Vicarius Apostolicus et iurisdictionem habet privative quoad Episcopum, nec Episcopus illum removere potest.* Breviter, casus possunt esse diversissimi : sed omnes huc recidunt, quod quacumque de causa nequeat Episcopus, sive per se sive per unum aut plures delegatos in auxilium adhibitos, dioecesim regere absque negotiorum notabili detrimento.

3. *Vicarius generalis libere*, etc. — Vicarii generalis officium fiduciarium omnino est, imo censetur Vicarius cum Episcopo unam personam quodammodo constituere : haec ratio quare ad unum Episcopum deputatio pertinet, excluso tum consensu tum consilio sive Capituli cathedralis Consultorumve dioecesanorum sive, *a fortiori*, salvo iure particulari per legitimam Ap. Sedis concessionem (cfr. can. 3) quaesito, auctoritatis

civilis. Et puto, quamvis canon sileat, consuetudinem contrariam, utpote quae cum rei natura conciliari nequit, esse irrationabilem (cfr. S. Congr. Conc., 11 dec. 1920) atque ex ipsa rei natura reprobatam (cfr. can. 27).

4. *Unus tantum constituatur*, etc. — Episcopus unum tantum Vicarium generalem constituere potest : id namque magis convenit et officii naturae et unitati regiminis. Non tamen semper vetita est Episcopis plurium Vicariorum deputatio. Sed Codex noster duos solummodo casus, et quidem taxative, recenset, in quibus admittitur pluralitas Vicariorum: cum, nempe id dioecesis amplitudo vel rituum diversitas suaserit. Quocirca, in primis animadvertendum est, ritus, de quibus hic agitur, esse latinum et orientalem : etenim horum tantummodo rituum tanta est diversitas tamque exclusivus character, ut peculiaris Vicarii generalis constitutio opportuna videatur. Ad rem Benedictus Pp. XIV, const. *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, § IX, n, 21 : *In dioecesi, ubi Latini et Graeci inhabitant et solum Archiepiscopum sive Episcopum latinum Ordinarium habent, dictus Archiepiscopus sive Episcopus, circa negotia et causas dictorum Graecorum, Vicarium graecum, ipsis Graecis gratum vel per ipsos Graecos eligendum* (*ex quo graecus vir melius graecos mores novit quam latinus*) *ipsorum stipendio et salario retinendum deputet ; et in causis appellationum ad Metropolitanum, qui forsan graecus non esset, dictus Metropolitanus similiter in dictis causis iudicem graecum deputare teneatur :* scilicet salva facultate constituendi etiam Vicarium generalem latinum. Alius casus in amplitudine dioecesis consistit. In dioecesi, inquam, amplitudine, non autem in mole negotiorum, quae in parva etiam dioecesi reperiri potest et ad quam semper sufficere potest maior numerus curialium : siquidem, quanto latius territorium patet, tanto difficilios esse solet clericis fidelibusque aditus ad civitatem episcopalem, ita ut interdum episcopale consistorium extra civitatem quoque constitui oporteat, quod sane fieri non potest, nisi per constitutionem alterius Vicarii generalis.

Quibus casibus proculdubio addendus est tertius, nempe si extiterit legitima consuetudo centenaria aut immemorabilis plures Vicarios constituendi, quae prudenter submoveri non possit (cfr. can. 5) : tum namque consuetudo huiusmodi contra legem, sed a lege non reprobata, toleratur a Legislatore (1). Quod si plures in dioecesi vel in dioecesibus aeque prin-

---

(1) *Ceterum,* ait Aichner (*Compend. iur. eccles.*, ed. 10, p. 436), *institutum vicariatus generalis aevo recentiore varias formas induit nec leves subiit mutationes. In plerisque dioecesibus Vicarius generalis cum consiliariis subordinatis collegium efficit, quod « Vicariatus generalis, Ordinariatus » vel « Consistorii » nomine venit. In nonnullis locis, inter plura tribunalia causae separatae dividuntur.* Et affert exemplum Bavariae, in cuius dioecesibus *tria huiuscemodi collegia extant, in quae tota episcopalis administratio et iurisdictio distributa est. Scilicet « Ordinariatus » in duo officia dispescitur, quae sunt*

cipaliter unitis constituantur, recta agendorum ratio postulat, ut constituantur in solidum (cfr. can. 205), *ne forte quae ab eorum singulis provisa gestaque fuerint, viribus careant* (Martin, *Schema Conc. Vaticani*, p. 134). Tandem per Codicem facultas fit Episcopis, si eorum Vicarii generales absentes fuerint vel impediti, alios eorum loco transitorie constituendi tanquam Pro-vicarios, nempe cum *ordinaria* iurisdictione Vicariorum generalium : nam, alias, inutilis foret huiusmodi facultas expresse concessa, cum Episcopi, sicut et ceteri cuiusvis generis Ordinarii, aliunde iam habeant facultatem (can. 199, § 1) *delegandi* ex toto vel ex parte potestatem suam.

CAN. 367.

§ 1. *Vicarius Generalis sit sacerdos e clero saeculari, annos natus non minus triginta, in theologia et iure canonico doctor aut licentiatus, vel saltem earum disciplinarum vere peritus, sana doctrina, probitate, prudentia ac rerum gerendarum experientia commendatus.*

§ 2. *Si dioecesis alicui religioni commissa fuerit, Vicarius Generalis potest esse eiusdem religionis alumnus.*

§ 3. *Vicarii Generalis munus ne committatur canonico poenitentiario, aut Episcopi consanguineis praesertim in primo gradu vel in secundo mixto cum primo, aut, exclusa necessitate, parocho ceterisque curam animarum habentibus ; sed non prohibetur Episcopus Vicarium ex ipsa dioecesi assumere.*

1. *Vicarius Generalis sit sacerdos*, etc. — In canone Legislator recenset qualitates, quibus clericus, ut licite (cfr. can. 11) in Vicarium gene-

---

« Consilium generale » sub directore et « Vicariatus generalis » constans ex Vicario generali et pluribus consiliariis ; pro causis vero matrimonialibus « Judicium matrimoniale » seu « Consistorium », cui praeest officialis, constitutum est. Et subiungit : *In nostro Imperio* (idest Austro-Hungarico, per bellum europaeum a. 1918 disiecto) *plerumque in locum Vicarii generalis subrogatum est « Consistorium » seu « Ordinariatus », quo nomine tum collegium eorum, qui Episcopo in regenda administrandaque dioecesi a consiliis sunt, tum etiam cancellaria pro expediendis negotiis adiuncta intelligitur. Consistorium, quatenus collegium Episcopi consultatorium, constat ex praeside et pluribus assessoribus... Porro Consistorium, tamquam officium administratorium, una cum cancellaria sibi adiuncta omnia illa negotia pertractat et expedit, quae gubernationem dioecesis respiciunt. Idem quasi organum est medium tum inter Episcopum et clerum dioecesanum, tum inter hunc et Gubernium civile in iis rebus, quae vel ad causas mixtas pertinent vel alias inter clerum et magistratus civiles aguntur.* Quae agendi ratio, utique a iuris communis praescriptis haud parum aberrat ; sed optime sustineri potest, sive ex legitimo titulo privilegii, sive ex centenaria aut immemorabili consuetudine.

ralem possit constitui, ornatus esse debet. In primis igitur, dum iure Decretalium idoneus habebatur quilibet clericus non coniugatus (S. Congr. Episc. et Reg., 11 sept. 1612), iure quo utimur Vicarius generalis debet esse sacerdos. Deinde, dum ante Codicem aetas viginti quinque annorum satis erat (Conc. Trident., sess. XXIV, c. 12), iure Codicis triginta requiruntur. Tertio, ex adverso, lex mitior facta est quoad gradus academicos in Vicario generali requisitos : nam post promulgationem Codicis, exclusa qualibet veteri controversia, sufficit iuris canonici atque theologiae vera peritia, et quidem, sicut et ceterae qualitates quae postea recensentur in hac prima paragrapho canonis, Episcopi iudicio aestimanda. Scilicet, plus minusve, eaedem in Vicario generali ac in Episcopo (cfr. can. 331) qualitates requiruntur. Discrimen in hoc tantummodo positum est, quod in Vicarium generalem is quoque constitui potest, qui natus non sit ex legitimo matrimonio, dummodo postea, sive per subsequentes iustas nuptias sive per R. Pontificis decretum, legitimatus fuerit (cfr. ibid., § 1, n. 1), sicut etiam is qui non fuerit a quinquennio presbyteratus ordine auctus (cfr. ibid., § 1, n. 3).

2. *Si dioecesis alicui religioni*, etc. — Quemadmodum paroecia, ita quoque dioecesis religioni quandoque ita committitur, ut Episcopus ex eadem sit assumendus ; idque accidit praesertim, cum vicariatus apostolicus, religionis cuiusdam curae commissus, introducta communi hierarchia, ad dioecesis statum evehitur. Tum potest, non autem tenetur, Episcopus deputare in Vicarium generalem eiusdem religionis alumnum, qui supra descriptis qualitatibus ornatus fuerit. Heic itaque habes unicam exceptionem a iure admissam : secus, ut canon ait, Vicarius generalis e clero saeculari desumendus est (cfr. can. 626).

3. *Vicarii Generalis munus*, etc. — Hac in paragrapho personae quaedam ab officio Vicarii generalis ita excluduntur, ut Episcopus ad idem munus licite deputare non possit absque dispensatione Ap. Sedis. Et primum excluditur canonicus poenitentiarius propter iurisdictionem in foro interno eidem commissam, ut hac in re quaelibet abusus suspicio removeatur. – Deinde excluditur, eadem de causa, Episcopi consanguineus, praesertim in primo gradu (nempe Episcopi frater) vel in secundo mixto cum primo (nempe Episcopi avunculus atque nepos ex fratre). – Tertio excluduntur, salva urgenti necessitate Episcopi iudicio aestimanda, parochi eorumque vicarii, dum tales sunt, quocumque nomine designentur : idque tum ratione incompatibilitatis officii vicarialis cum cura animarum, tum propter iurisdictionem in foro interno, qua eaedem personae fruuntur. — Tandem, ex adverso et qualibet controversia sublata, deputari post Codicem potest in Vicarium generalem clericus in dioecesi incardinatus.

CAN. 368.

§ 1. *Vicario generali, vi officii, ea competit in universa dioecesi iurisdictio in spiritualibus ac temporalibus, quae ad Episcopum iure ordinario pertinet, exceptis iis quae Episcopus sibi reservaverit, vel quae ex iure requirant speciale Episcopi mandatum.*

§ 2. *Nisi aliud expresse cautum fuerit, Vicarius generalis exsequi potest rescripta apostolica quae Episcopo vel praecedenti rectori dioecesis remissa sint, ac generatim ad ipsum quoque pertinent facultates habituales Ordinario loci a Sancta Sede concessae, ad normam can.* 66.

1. *Vicario Generali, vi officii*, etc. — Canon, iurisdictionis Vicarii generalis naturam, obiectum, limites adamussim definit. Jurisdictionis, inquam : nam universa potestas Vicarii generalis, qua talis, ad iurisdictionem pertinet, et quidem extraiudicialem ; ex adverso, ad iudicialem iurisdictionem exercendam, Officialis (cfr. can. 1573) ; ad exercendam vero, Episcopi loco, potestatem ordinis, Vicarius *in pontificalibus* seu Episcopus Auxilia is (cfr. can. 350 § 3) constituuntur. In primis igitur Legislator animadvertit, potestatem Vicario generali vi officii competere. Quae quidem verba non sine peculiari ratione sunt canoni inserta: acriter namque, ante promulgationem Codicis, controversum est inter iurisperitos, num haec potestas ordinaria esset vel potius delegata ad universitatem causarum (cfr. Wernz, *Jus decreta* ., II, n. 805). Cum autem adversarii potestatis ordinariae obiicerent, et non immerito, non omnem potestatem a iure delatam (veluti ex. c. a Conc. Tridentino delatam Episcopis, ut quandoque tanquam *delegati* Ap. Sedis procedere possent) eo ipso esse ordinariam, Legislator, postquam can. 197 § 1 edixit : *Potestas iurisdictionis ordinaria ea est, quae ipso iure adnexa est officio* — hoc in canone, per quem Vicariis generalibus amplissima potestas *ipso iure* defertur, expresse observat, hanc potestatem *vi officii* competere, seu aliis verbis, iure ipso cum officio esse coniunctam. Nullum itaque dubium, quin, iure quo nunc utimur, Vicarius generalis ordinaria potestate fruatur : imo Legislator ipse, per can. 198, inter eos qui nomine *Ordinarii* vel *Ordinarii loci* in iure veniunt, Vicarios generales expresse recenset (1). Porro, cum

(1) Aliter res se habent in Vicariatibus ac Praefecturis Ap. Potestas namque universa Vicarii delegati, quem vi decr. S. Congr. de Prop. Fide 8 dec. 1919, quilibet Vicarius et Praefectus Ap., si eo indigeat, deputare potest, quamvis amplitudinem habeat potestatis Vicarii generalis, tamen delegata est : siquidem repugnat, adesse in eodem territorio duplex potestas, eodem titulo innixa eiusdemque, naturae atque amplitudinis, qualis est potestas ordinaria, quam missionum Praesules vice ac nomine R. Pontificis exercent, quamque etiam eorum Vicarii generales exercerent, si Vicarii huiusmodi ibidem cum potestate ordinaria deputari possent.

ordinaria Vicarius generalis potestate fruatur, potest eam, ad normam can. 199 § 1, ex parte vel etiam (transitoria necessitate id postulante) ex toto alteri legitime delegare, cum facultate quoque subdelegandi : habita tamen ratione can. 369 § 2, per quem ipsi interdicitur usus suae potestatis contra mentem ac voluntatem Episcopi, cuius vices gerit.

2. *Ea competit in universa dioecesi* etc. — Potestas ordinaria atque extraiudicialis Vicarii generalis alis ad universas causas extenditur, sive spirituales eae sint sive temporales (cfr. can. 1495-1551), quae iure ordinario, non delegato, ad Episcopum vel ad Metropolitam (cfr. can. 274) pertinent : videlicet de quibus is, cuius vices gerit, ad normam Codicis extraiudicialiter cognoscere potest. Haec regula generalis, per quam iure ipso Vicarii generalis officio amplissima potestas adnectitur, quae tamen, uti postea videbimus, variis exceptionibus circumscripta est. Jam vero ex hac regula statim defluit, eas causas quae potestati Vicarii generalis a iure subiiciuntur, subiici simul et necessario Episcopi potestati: nimirum, intra limites a iure statutos, idem esse utriusque potestatis subiectum. Sed vicissim (et aliter simul consistere non possent) non idem est titulus neque eadem natura : nam, etsi ceterae rationes praetermittantur, habet Episcopus a iure communi potestatem propriam ac principalem, dum potestas Vicarii generalis et vicaria est natura sua (cfr. can. 197 § 2), ac proinde Episcopo subordinata, et ad nutum Episcopi revocabilis. Quoniam ergo vicaria est potestas huiusmodi, quae Vicarius generalis egerit, merito vice ac nomine, imo ex voluntate quoque Episcopi, gesta esse praesumuntur : quare, quoad actus, quos Vicarius generalis posuit potestate ordinaria, unicum censetur utriusque consistorium. Unde consequitur : — 1° nullum contra agendi rationem Vicarii generalis recursum apud Episcopum interponi posse, sed SS. Congregationibus Curiae Romanae exhiberi oportere ; — 2° eos tantummodo Episcopum actus Vicarii generalis posse corrigere, quos corrigere posset, si a se positi fuissent ; — 3° teneri Episcopum in solidum cum Vicario generali de damnis, que idem Vicarius sive dolo malo sive culpabili negligentia iniuste intulerit in sui officii administratione.

3. *Exceptis iis quae Episcopus* etc. — Ex iis causis, quae iure ordinario ad Episcopum pertinent, quaedam sunt, veluti religionum erectio (can. 492 § 1) et canonicorum *ad honorem* nominatio (can. 406 § 1), quas Episcopo ius ipsum reservat : hasce causas Vicarius generalis agere non potest, nisi ex indulto Ap. Sedis. Ex ceteris vero causis, iure ordinario ad Episcopum pertinentibus, facultas a iure fit dioeceseon Praesulibus sibimet ipsis quasdam reservandi atque ita potestati Vicarii generalis subripiendi : non tamen, ut facile patet, ultra limites, quos hisce reservationibus praescribit natura sua generale mandatum, quod Vicarii generales a iure habent ; quos fines si fuerit Episcopus praetergressus, figura

iuridica Vicarii generalis facto ipso evanescit. Existente igitur Episcopi reservatione, nihil potest Vicarius generalis quoad causas ita reservatas ; at reservatione *hominis* sublata, libera emergit potestas ordinaria, quam Vicarius habet *a iure*, quamque et antea habuisset, si reservatio interposita non esset. Nihilominus, non videtur Episcopus prohiberi, quin eatenus tantum reservationem auferat, quatenus necesse sit ad eam potestatem Vicario generali delegandam : *cui* namque *licet quod est plus, licet utique quod est minus* (Reg. 53 R. J. in VI) ; et hoc in casu, quoad eas causas, potestas Vicarii generalis non ordinaria est, sed delegata, ideoque, nisi deleganti placuerit, non subdelegabilis (cfr. can. 199 § 4), vel ad summum delegabilis in singulis casibus, si delegatio non mera, sed ad universitatem causarum facta fuerit (ibid. § 3).

4. *Vel quae ex iure requirant* etc. — Et veniamus ad eas causas, de quibus, ex iuris praescripto, Vicarius generalis cognoscere non potest, nisi ex speciali Episcopi mandato. Quaenam mandati huius natura ? Videtur, contra sententiam Vidal (*Jus canon.*, II, n. 640) et Vermeersch (*Epitome*, II, n. 347), mandatum huiusmodi, sive generale fuerit sive speciale, sive in actu collationis officii sive postea delatum, delegationi merae vel ad universitatem causarum aequiparari oportere : tum etenim, quamvis ratione officii, tamen potestas personae, et quidem *ab homine* committi videtur (cfr. can. 197 § 1). Idque nobis ex eo constat, quod, dum in contraria sententia necessitas mandati specialis, a iure requisiti, non esset nisi conditio *sine qua non* extensionis ad has quoque causas potestatis ordinariae Vicarii generalis ; contra, patet ex contextu can. 368 § 1, quem modo explicamus, statuisse Legislatorem genuinam exceptionem, ordinariam Vicarii potestatem circumscribentem. Aliis verbis, dum potestas ordinaria ea est, quae ipso *iure* adnexa est officio (can. 197, § 1), nulla hic officio potestas *iure* ipso adnectitur ; imo, ex iuris communis dispositione, ut potestas delata censeatur, speciale *hominis* mandatum expresse requiritur. Sed ex mandato *hominis*, qui non sit R. Pontifex, defluere nequit potestas ordinaria. Quare, etiamsi potestas, potius quam personae ratione officii, officio ipsi adnexa videatur, cum adnexio huiusmodi *ab homine* non *a iure* fiat, tanquam ordinaria haberi non potest. Sed neque suffragatur contrariae sententiae praecedens exceptio : nam, in eo casu, non idem erat, imo contrarius, status quaestionis : videlicet potestas, quae Vicario generali *ex iure* competit, auferebatur per *hominis* reservationem. Speciale autem Episcopi mandatum requirunt causae graviores, quae cum in Codice (antiquis sublatis controversiis) taxative recenseantur, posse videntur optimo iure ab Episcopo quocumque tempore mandato generali comprehendi, in easque universas Vicario generali potestas delegari. Quae quidem delegatio, cum Codex nullam formam praescribat, quocumque modo naturaliter sufficienti fieri potest (cfr. can. 11) ; expedit tamen scripto fiat.

Nequit igitur Vicarius generalis, sine Episcopi mandato, excardinationem vel incardinationem concedere (can. 113) ; officiis ecclesiasticis providere (can. 152) ; Synodum dioecesanam convocare (can. 357 § 1) ; parochos nominare atque instituere (can. 455) ; amovere vicarios paroeciales (can. 477 § 1) ; pias associationes erigere (can. 686 § 4) ; casus reservare (can. 893 § 1) ; litteras dimissorias concedere (can. 958 § 1 n. 2 et 959) ; matrimonium conscientiae permittere (can. 1104) ; consensum praestare pro ecclesiae aedificatione (can. 1162 § 1) ; reliquias authenticas declarare (can. 1283 § 2 et 1285 § 1) ; definire stipem exigendam propter utensilia ceteraque ad Missae sacrificium necessaria (can. 1303 § 3) ; beneficia erigere (can. 1414 § 3), unire (can. 1423 § 1) vel conferre (can. 1432 § 2) ; institutionem canonicam concedere (can. 1466 § 2) ; permutationem beneficiorum permittere (can. 1487 § 1) ; poenas ecclesiasticas infligere (can. 2220 § 2) vel a se, tamquam iudice, applicatas remittere (can. 2236 § 3) ; denique apostatas, haereticos, schismaticos absolvere ab excommunicatione (can. 2314 § 2).

5. *Nisi aliud expresse cautum fuerit* etc. — Potestas executioni mandandi rescripta apostolica, quae executione indigeant (cfr. can. 51), subinde delegatur a Sede Ap. rescribente per rescriptum ipsum, in quo et persona executoris designatur. Nisi igitur a rescribente aliud expresse cautum fuerit, potestas exequendi rescripta, quae Episcopo vel praecedenti rectori dioecesis, veluti Vicario capitulari aut Administratori Ap. aut etiam Episcopo praedecessori, delegata fuerit, quaque iidem nondum usi sint, propter unitatem utriusque consistorii, Vicario quoque generali delegata censetur ; hic vero eam, ad normam can. 57 et 199 § 2, nisi electa fuerit industria personae aut substitutio prohibita aut substituti persona definita, libere subdelegare potest.

6. *Generatim ad ipsum quoque pertinent* etc. — Quod nuper diximus de rescriptis apostolicis, idem dicendum est de facultatibus habitualibus, quas Ap. Sedes, per S. Congr. Consistorialem, ad normam Pii Pp. XI motu-propr. *Post datam*, 20 apr. 1923, praeter ius commune Episcopis concedere solet. Scilicet facultates huiusmodi, quae per modum delegationis ad universitatem causarum (cfr. can. 66 § 2 et 199 § 2) Episcopis conceduntur, concessae quoque censentur, iisdem conditionibus, Vicariis generalibus Episcoporum. At potestne Episcopus quorundam rescriptorum executionem aut usum quorundam facultatum habitualium sibimet ipsi exclusive reservare ? Potest : nulla enim videtur adesse ratio, quare non possit sibi reservare potestatem delegatam, dum sibi reservare potest partem potestatis ordinariae, officio Vicarii generalis iure ipso adnexae.

CAN. 369.

§ 1. *Vicarius Generalis praecipua acta Curiae ad Episcopum referat, ipsumque certiorem faciat de iis quae gesta aut gerenda sint ad tuendam in clero et populo disciplinam.*

§ 2. *Caveat ne suis potestatibus utatur contra mentem et voluntatem sui Episcopi, firmo praescripto can.* 44, § 2.

Quae in canone de subordinatione Vicarii generalis quoad Episcopum statuuntur, per se clara sunt. Quamvis autem Vicarius generalis contra faciens, intra fines suae potestatis valide agat, tamen, ex can. 44, § 2, gratia ab Episcopo denegata nequit valide, sive mentio denegationis fiat sive minus, a Vicario generali, non consentiente Episcopo, impetrari.

CAN. 370.

§ 1. *Praesente etiam Episcopo, Vicarius generalis publice privatimque praecedentiae ius habet super omnibus dioecesis clericis, non exclusis dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis, etiam in choro et actibus capitularibus, nisi clericus charactere episcopali praefulgeat, et Vicarius Generalis eodem careat.*

§ 2. *Si Vicarius Generalis sit Episcopus, omnia honorifica privilegia Episcoporum titularium obtinet ; secus durante munere habet tantum privilegia et insignia Protonotarii apostolici titularis.*

Canon describit iura honorifica Vicarii generalis. Ceteris autem praetermissis, de praecedentia videamus. Quocirca in primis Codex totam de praecedentia materiam ex integro ordinasse videtur : quare, ad normam can. 22 et 6 n. 1 et 3, leges quaelibet, sive universales sive particulares, Codici contrariae abrogatae sunt cum iurisperitorum interpretationibus easdem respicientibus (cfr. S. Congr. Conc., 17 maii 1919). Quoad Vicarium vero generalem, antiquis controversiis e medio sublatis et iuxta principia in can. 106, n. 1 et 2 statuta, recepta est regula Vicarium generalem, ratione officii, principem post Episcopum locum ubique et semper habere, quamvis non sit canonicus (S. Congr. Conc., 15 dec. 1923); et, si canonicus, quamvis non praelatitia sed canonicali veste indutus fuerit (S. Congr. Conc., 17 maii 1919). Unica exceptio a iure admittitur, nempe si adsit Episcopus, quicumque ille sit, cui Vicarius generalis eadem dignitate carens, ob reverentiam quae episcopali dignitati debetur, locum cedere debet. Idque proinde, saltem stricto iure, facere non tenetur quoad Vicarios ac Praefectos Ap. vel Abbates ac Praelatos *nullius* aliosve Praelatos qui episcopali dignitate careant, nisi R. Pontificis aut proprii Metropolitae personam gerant.

Can. 371.

Expirat Vicarii Generalis iurisdictio per ipsius renuntiationem ad normam can. 183-191, *aut revocationem ei ab Episcopo intimatam, aut sedis episcopalis vacationem; suspenditur vero suspensa episcopali iurisdictione.*

Vicarius generalis de officio decidere potest tribus modis: renunciatione, revocatione, sedis vacatione. Renunciatione, sive expressa ea sit ac legitime facta sive tacita ad normam can. 188, Vicarius generalis officio decidit statim ac eidem significata fuerit Episcopi acceptatio (can. 190). Revocatione vero Episcopi Vicarius officio decidit, cum haec illi fuerit intimata. Quocirca animadvertendam est, posse quidem Episcopum sine causa Vicarium generalem valide revocare, cum sub hac implicita conditione officium collatum fuerit, ut revocatio *ad nutum* fieri possit; sed revocatio huiusmodi semper est illicita, ideoque potest tum Vicarius in officio restitui per Ap. Sedem (S. Congr. Episc. et Reg., 3 iun. 1601; 7 sept. et 8 oct. 1649). Praecipuae vero causae canonicae, ob quas Vicarius generalis revocari potest, hae sunt: quod de eo audiantur multae querelae (ead. S. Congr., 5 febr. 1601); quod non recte dioecesim gubernet (ead. S. Congr., 3 dec. 1601); quod ad S. Congregationes Romanas irreverenter scribat (ead. S. Congr., 3 sept. 1601); quod necessaria prudentia careat in agendo, quamvis ceterum idoneus existat (ead. S. Congr., 18 iun. 1649); quod excommunicatus fuerit ac tandem quod parere renuat Ap. Sedis mandatis (ead. S. Congr., 17 aug. 1643 et 23 apr. 1649). Denique Vicarius generalis officio decidit per vacationem sedis, si nempe Episcopus morte intercipiatur, eiusve ius resolvatur per legitimam renunciationem, privationem, amotionem aut translationem: Episcopi namque iure quocumque modo resoluto, necessario eius quoque ius resolvi debet, qui eiusdem vices gerit.

Eodemque modo atque eadem de causa ius Vicarii generalis suspenditur, suspensa per excommunicationem vel suspensionem (cfr. can. 429, § 5) aut per nominationem Administratoris Ap. (can. 316, § 1) Episcopi iurisdictione. Sed aliter res se habent, si episcopalis iurisdictio, ad normam can. 429 § 1, impediatur.

Art. II.

De cancellario aliisque notariis et archivo episcopali.

Can. 372.

§ 1. *In qualibet Curia constituatur ab Episcopo cancellarius qui sit sacerdos, cuius praecipuum munus sit acta Curiae in archivo custodire, ordine chronologico disponere et de eisdem indicis tabulam conficere.*

§ 2. *Poscente necessitate, adiutor ei dari potest, cui nomen sit vice-cancellarii seu vice-tabularii.*

§ 3. *Cancellarius est eo ipso notarius.*

1. *De eo officio* (nempe cancellarii) *mere saeculari*, ait Thomassin (*Vetus et nova Eccl. discipl.*, p. I, l. II, c. 104, n. 15), *agit et Cassiodorus, cui nomen erat a « cancellis » intra quos se continebant, ut vel audirent vel introducerent eos, qui audiri se a magistratu cupiebant... In huiusmodi officia intricare se clerici non coeperunt, nisi circa tempora Caroli Magni*, cuius sub Imperio *cancellariorum erat asservare Principum scrinia, leges, praecepta, item statuta placitorum et comitiorum Regni ; horum exscripta Archiepiscopis et Comitibus subministrare, a quibus ea cum Episcopis et Abbatibus et Comitibus communicabantur ; denique Principem admonere, qui Episcopi, qui Comites apographa haec Capitularium regiorum accepissent.* Inde cancellariorum episcopalium nomen ac munus derivatum.

2. *In qualibet Curia constituatur*, etc. — Quilibet Episcopus tenetur ad cancellarium constituendum. Hic, controversiis omnibus sublatis, iure quo utimur oportet sit sacerdotio auctus et, quia cum officio cancellarii notarii officium iure ipso coniungitur, integrae famae et omni suspicione maior (can. 373, § 4). In casu vero, quo Vicarius generalis religiosus esse potest (cfr. can. 367, § 2), videtur *a fortiori* et cancellarius posse ex eadem religione assumi. Quoad alias qualitates, a iure expresse non requisitas, et tamen necessarias aut opportunas, Episcopi prudentiae negotium remittitur. Tandem cancellarii, qua talis, munus praecipuum triplex est : acta Curiae in archivo custodire ; ordine chronologico disponere ; de iisdem indicem conficere.

Can. 373.

§ 1. *Episcopus praeter cancellarium potest alios quoque notarios constituere, quorum scriptura aut subscriptio publicam fidem facit.*

§ 2. *Iidem constitui possunt aut ad quaelibet acta, aut ad acta iudicialia dumtaxat, aut ad acta tantummodo certae causae vel negotii conficienda.*

§ 3. *Si clerici desint, possunt e laicis assumi ; sed notarius in criminalibus clericorum causis debet esse sacerdos.*

§ 4. *Cancellarius aliique notarii debent esse integrae famae et omni suspicione maiores.*

§ 5. *Omnes possunt removeri aut suspendi ab eo qui illos constituit aut ab eius successore aut Superiore, non autem a Vicario Capitulari, nisi de consensu Capituli.*

1. Canon decernit de notariorum constitutione ac qualitatibus, necnon de eorundem ac simul cancellarii et vice-cancellarii remotione et suspensione. *Communior eruditorum opinio est*, ait Lega (*De iudiciis eccl. civil.*, I n. 152), *notarios dictos fuisse a notis, seu a quibusdam signis adhibitis ad citissime scribendum. Unde hi scriptores dicebantur « tachygraphi » seu « stenographi », quorum ars non tantum Romanis, sed Graecis et Hebraeis explorata fuit.* Inde vox in ius tum civile tum canonicum recepta. At non idem munus. Nam notarius, ut ait Bouix (*De iudic.*, p. II, c. 15) *est persona ab auctoritate publica constituta, ut scripti ab ipsa actus fidem faciat.* Siquidem, subdit, cum plura inter personas sive physicas sive morales iura ut plurimum pendeant a variis initis pactis vel negotiis iuridicis, a sententiis iudicialibus aliisque huiusmodi gestis, maxime interest, ut de his actibus constare possit non tantum eo momento, quo peraguntur, sed etiam postea : inde necessitas scripturae. At ipsa scripta, nisi a personis fide dignis conficiantur, fraudem continere possent. Ut igitur scriptorum sinceritas in tuto poneretur, convenienter institutus est coetus virorum integritate conspicuorum, quibus scripta concinnandi officium demandaretur et quorum sic scripto testimonio plena fides habenda iniungeretur.

2. Notarios constituere per se prae ogativa est supremi Principis, ac proinde legis ab eo latae, necnon eorum quibus ille facultatem fecerit : nam, uti loquebatur Fagnanus (cfr. Lega, *De iudic. eccl.*, I, n. 154), *ut credatur pelli animalis est contra ius* (nempe naturale), *cui solus Princeps supremus potest derogare.* Ideoque quod alii quoque, praeter supremum Principem, possint constituere notarios, nonnisi ex iure positivo oriri potuit. Et quia, ante promulgationem Codicis, ne verbum quidem huius facultatis reperiebatur in iure scripto, id consuetudine inductum esse dicendum est. At Codex antiqui iuris defectum supplet, nempe consuetudinem in ius scriptum transfert.

3. *Episcopus praeter cancellarium potest* etc. — Primum igitur, iure Codicis, notarios constituendi facultas competit Episcopis residentialibus, iisque omnibus qui Episcopis aequiparantur, videlicet Abbatibus ac Praelatis *nullius* (cfr. can. 323 § 1). Et, quia eadem ratio urget, id quoque

possunt Administratores Ap. permanenter constituti (cfr. can. 315, § 1) necnon Vicarii ac Praefecti Ap. (cfr. can. 294, § 1). Scilicet Praesules huiusmodi notarios constituere possunt pro territorio in quo iurisdictionem exercent. Quare notarius intra territorii fines potest pro peregrinis quoque acta conficere (cfr. Lega, ibid., n. 155). Acta vero ita legitime confecta ubique tenent. Deinde, iisdem de causis, notarios constituere possunt Superiores maiores religionum clericalium exemptarum (can. 503), tamen, ut patet, pro subditis tantum ac negotiis suae religionis. Constitui autem possunt ad quaelibet acta vel ad acta tantummodo iudicialia conficienda : et hisce in casibus merito dicuntur in officio constitui ; vel ad acta conficienda certae causae aut negotii : et tum dicuntur munus temporarie exercere.

4. *Si clerici desint*, etc. — Modo videamus quinam possint ad notarii munus assumi. Jam vero antiquitus, cum ad normam iuris romani (Nov. XLVII, c. 12 et XC, c. 2) notarii munus suum exercerent pro utroque foro magnisque lucris studerent, exercitium notariatus clericis interdictum erat (c. 8 X, *Ne clerici vel monachi*, etc., III, 50), ita ut Fagnanus testari posset : *Ubique locorum actuarii seu cancellarii Episcoporum sunt laici.* Nostra tamen hac aetate praxis introducta est notarii munus, in causis ecclesiasticis ac praesertim criminalibus clericorum, clericis deferendi. Hanc Codex recepit, imo decrevit Legislator, notarios laicos, nedum licite nunquam (cfr. can. 11) assumi posse in hisce causis criminalibus, sed ab aliis quoque causis ecclesiasticis arceri oportere, si clerici praesto sint. Clerici : nempe prima saltem tonsura instructi, exceptis causis criminalibus clericorum, in quibus notarii sacerdotes esse debent. Praeterea sint oportet integrae famae et omni suspicione maiores : alias qualitates muneri implendo necessarias exigere, veluti scientiam ac usum iuridicum sufficientem, Ordinariorum est.

5. *Omnes possunt removeri*, etc. — Tum cancellarius tum notarii ita constituuntur, ut revocari aut suspendi possint *ad nutum* eius qui illos constituit eiusve successoris, ac proinde Administratoris Ap. permanenter constituti (cfr. can. 315 § 1) aut Superioris ; non autem, sine consensu Capituli cathedralis, revocari possunt a Vicario capitulari, neque ideo ab Administratore Ap. ad tempus constituto (cfr. can. 315 § 2 n. 1). Non igitur (ne scilicet tam necessariis officialibus dioecesis destituatur) a munere decidunt, iure Episcopi resoluto.

Can. 374.

§ 1. *Officium notariorum est :*

1. *Conscribere acta seu instrumenta circa dispositiones, obligationes, citationes et intimationes iudiciales, decreta, sententias aliave circa quae eorum opera requiritur ;*

2. *In scriptis fideliter redigere quae geruntur eaque cum significatione loci, diei, mensis et anni subsignarre;*

3. *Acta vel instrumenta legitime petenti ex regesto, servatis servandis, exhibere et eorum exemplaria cum autographo conformia declarare.*

§ 2. *Conscribere acta nequit notarius nisi in territorio illius Episcopi a quo est electus aut pro negotio ad quod est legitime constitutus.*

Canon explicat diligenter quaenam ad officium notariorum, iisque deficientibus ad cancellarium qua Curiae notarium, ex iure communi spectent. Haec ad tria reducuntur: instrumenta, regestum ac regesti extracta conficere. Et fieri debent intra fines territorii atque pro iis tantummodo negotiis, ad quae notarius constitutus est. Intra fines territorii: quod a Legislatore ita exprimitur, ut nullam exceptionem admittat. Quare, post promulgationem Codicis, non amplius videtur posse sustineri sententia, qua instrumentum extra territorium confectum censebatur legitimum, dummodo id subditis rogantibus factum esset. (cfr. Lega, *De iudic. eccles.*, I, n. 155). Neque obiici potest, quod quandoque *potestatem iurisdictionis voluntariam quis exercere potest extra territorium existens* (can. 201 § 3): nam nulla hic quaestio de potestate iurisdictionis, sed de charactere quodam necessario, quo notarius ex iuris praescripto extra territorium non gaudet. Imo putamus, si memoratorum requisitorum alterutrum deficiat, ob defectum huiusmodi characteris, publicam fidem instrumento ita confecto esse negandam, perinde ac si a non notario confectum fuisset: aliis verbis inesse huic paragrapho vim inhabilitantem (cfr. can. 11).

Can. 375.

§ 1. *Episcopi in loco tuto ac commodo archivum seu tabularium dioecesanum erigant, in quo instrumenta et scripturae, quae negotia dioecesana tum spiritualia tum temporalia spectant, apte dispositae et diligenter clausae custodiantur.*

§ 2. *Omni diligentia ac sollicitudine conficiatur inventarium seu catalogus documentorum quae in archivo continentur cum brevi singularum scripturarum synopsi.*

Legislator de archivis ecclesiasticis in ordinem redigendis sollicitus, prolixioribus dispositionibus, ex Benedicti Pp. XIII const. *Maxima vigilantia* (14 iun. 1727) plerumque desumptis, hoc et subsequentibus canonibus rem diligentissime definit. Quare nulla fere explicatione indigent. Et primum hoc in canone fit Ordinariis praeceptum grave de archivo constituendo et inventario conficiendo.

Can. 376.

§ 1. *Quotannis, primo bimestri, inventario seu catalogo illae scripturae adiungantur, quae anno praecedenti confectae vel alias neglectae fuerunt.*

§ 2. *Ordinarii sedulo inquirant chartas et scripturas forte alio distractas atque dispersas ; et quaelibet necessaria remedia adhibeant ut eaedem scripturae archivo restituantur.*

Varia sunt remedia, quibus Ordinarii, ad finem obtinendum, iuxta locorum ac personarum adiuncta ex iuris praescripto uti debent : veluti petitiones, exhortationes, emptiones, poenae ecclesiasticae.

Can. 377.

§ 1. *Archivum clausum sit oportet et nemini illud ingredi liceat sine Episcopi aut Vicarii Generalis et cancellarii licentia.*

§ 2. *Unus cancellarius illius clavem habeat.*

Licentia igitur cancellarii, utique sub Ordinarii auctoritate, semper requiritur : nec tamen sufficit.

Can. 378.

§ 1. *Ex archivo non licet efferre scripturas sine Episcopi vel Vicarii Generalis consensu eaedemque post triduum in suum locum referantur. Ordinario autem reservatur facultas prorogandi hoc tempus, quae tamen prorogatio nonnisi moderate concedatur.*

§ 2. *Qui aliquam scripturam ex archivo effert, syngrapham sua manu signatam, hoc ipsum significantem cancellario relinquat.*

Tenetur proinde cancellarius obligatione syngrapham subsignatam exigendi. Quod autem interdicatur Ordinario immoderata tridui prorogatio, id pro natura et volumine documentorum intelligendum est.

Can. 379.

§ 1. *Habeant praeterea Episcopi aliud archivum secretum vel saltem in communi archivo armarium seu scrinium omnino clausum et obseratum, quod de loco amoveri nequeat. In eo scripturae secreto servandae cautissime custodiantur ; sed singulis annis quamprimum comburantur documenta cau-*

sarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint vel quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento facti brevi summario cum textu sententiae definitivae.

§ 2. *Etiam huius secreti archivi vel armarii inventarium seu catalogus conficiatur ad normam can.* 375, § 2.

§ 3. *Hoc archivum vel armarium duabus clavibus inter se diversis aperiatur, quarum altera apud Episcopum vel Administratorem Apostolicum, altera apud Vicarium Generalem vel, eo deficiente, Curiae cancellarium asservetur.*

§ 4. *Episcopus vel Administrator Apostolicus, repetita altera clave, ipse solus, nemine adstante, archivum vel armarium secretum, ubi opus fuerit, aperire et inspicere potest, quod deinde utraque clave iterum claudatur.*

Hactenus de archivo communi. Sed praeterea tenentur Episcopi alterum archivum, idque secretum, constituere. Sunt autem secreto asservandae scripturae, quae natura sua secretum expostulant, veluti quae pertinet ad vitam et mores clericorum, ad remotiones ab officio, ad suspensiones *ex informata conscientia* etc. Praeterea ex voluntate expressa Legislatoris : liber dispensationum ab irregularitate vel impedimento in foro interno non sacramentali concessarum (can. 991 § 4) ; liber dispensationum super impedimentis matrimonialibus occultis, quae in eodem foro concessae fuerint per rescriptum S. Poenitentiariae (can. 1047) ; liber matrimoniorum *conscientiae* (can. 1107) ac, iisdem de causis, alia hac de re documenta. Addenda sunt, ex praescripto huius canonis, quem explicamus, documenta causarum criminalium in materia morum. Ad archivum huiusmodi solus Ordinarius accedere permittitur. Sed peculiari ratione custodiendum est sede vacante : tum enim facilius iuris praescripta hac in re negligi solent.

Can. 380.

Statim a capta possessione, Episcopus sacerdotem designet, qui, sede vacante aut impedita, clavem secreti tabularii seu armarii quae apud Episcopum erat, assumat.

Totum negotium, de quo in canone, ad fiduciam et conscientiam pertinet.

Can. 381.

§ 1. *Nisi Administrator Apostolicus dioecesi datus fuerit :*

1° *Sede impedita ad normam can.* 429 § 1, *sacerdos ab Episcopo designatus, si quidem regimen dioecesis sit penes virum ecclesiasticum ab Episcopo delegatum, clavem eidem remittat ; si penes Vicarium generalem, eam ipse retineat ;*

2° *Sede vero vacante aut impedita ad normam cit. can.* 419 § 3, *idem sacerdos clavem remittat Vicario Capitulari statim post eius designationem ; Vicarius vero Generalis vel cancellarius aliam clavem a se retentam remittere eodem tempore debet primae Capituli dignitati vel consultori dioecesano munere antiquiori.*

§ 2. *Antequam claves iis, quibus tradi debent ad normam* § 1, *remissae fuerint, Vicarius Generalis vel cancellarius et sacerdos, ut supra, ab Episcopo designatus, tabularium vel armarium sigillis Curiae obsignent.*

Sedulo distinguenda est sedes impedita ad normam can. 429 a sede vacanti ad normam can. 430. In utroque casu potest Ap. Sedes Administratorem Ap. in dioecesi constituere, cui tum remittenda est clavis a sacerdote fiduciario ; Vicarius vero generalis, si extet, cum, item in utroque casu, officio decidat (can. 316 § 1 et 371), alteram clavem remittere tenetur cancellario, qui semper extare debet ; si nullus extet Vicarius generalis, cancellarius apud se clavem retinebit. Si contra, nullus constitutus fuerit Administrator Ap., tum regimen dioecesis assumitur vel a Vicario generali ad normam can. 429 § 1, et hoc in casu sacerdos fiduciarius clavem apud se retinet ; vel a sacerdote ab Episcopo delegato (ibid.), et tum fiduciarius sacerdos clavem eidem tradit, suam Vicario generali, si extet, aut cancellario retinentibus ; vel a Vicario capitulari, ad normam can. 432 aut 429 § 3, et hoc in casu fiduciarius eidem clavem remittit, Vicario generali, si extet, aut cancellario primae Capituli dignitati (et, hac deficiente, successivis per ordinem) aut consultorum seniori suam clavem tradentibus, ita ut numquam utraque clavis apud unam eandemque personam reperiatur. Haec videtur canonis verisimilior explicatio. Cetera clara.

CAN. 382.

§ 1. *Tabularium vel armarium nunquam aperiatur nec sigilla ab eo removeantur, nisi urgente necessitate et ab ipso Vicario Capitulari coram duobus canonicis vel dioecesanis consultoribus, qui evigilent ne qua scriptura e tabulario auferatur ; solus autem Vicarius Capitularis documenta in tabulario asservata potest, iisdem canonicis vel consultoribus adstantibus, inspicere, nunquam tamen auferre. Archivum autem, post inspectionem novis sigillis obsignetur.*

§ 2. *Advenienti novo Episcopo, si sigilla remota fuerint et tabularium aut armarium apertum, Vicarius Capitularis rationem reddat urgentis necessitatis, qua ad hoc motus fuerit.*

Legislator, praesertim hac ultima dispositione, archivi secreti omnimodae securitati cavet. De uno autem Vicario capitulari mentionem facit,

quia Administrator Ap. nonnisi Ap. Sedi rationem reddere tenetur ; Vicarius autem generalis, aut officio decidit aut, Episcopi iure non resoluto, eidem rationem reddere debet.

Can. 383.

§ 1. *Curent Episcopi ut archivorum quoque ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, paroecialium, necnon confraternitatum et piorum locorum inventaria seu catalogi conficiantur duobus exemplaribus, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo episcopali servetur, firmo praescripto can.* 470 § 3, 1522 *nn.* 2, 3, 1523 *n.* 6.

§ 2. *Documenta originalia ex praedictis archivis ne efferantur, nisi ad normam can.* 378.

Canon continet obligationem tum Episcoporum tum personarum, quarum mentio fit. Ex can. vero 470 § 3, tenentur praeterea parochi ad transmittendum quotannis Curiae episcopali exemplum authenticum librorum paroecialium ; ex can. 1522 n. 2 et 3 tenentur administratores bonorum ecclesiasticorum ad rerum omnium inventarium conficiendum eiusque alterum exemplar Curiae exhibendum ; ex can. 1523 n. 6 iidem administratores tenentur quoque ad exhibendum Curiae dioecesanae exemplar authenticum documentorum et instrumentorum, quibus iura ecclesiae in bona nituntur ; denique, ut supra vidimus, can. 378 conditiones statuit, ut possit quis scripturas efferre ex archivo communi.

Can. 384.

§ 1. *Documenta quae in paroeciarum et Curiarum archivis sub secreto servanda non sunt, fit cuilibet cuius intersit inspiciendi potestas ; itemque postulandi ut sua impensa sibi legitimum eorum exemplar exscribatur et tradatur.*

§ 2. *Cancellarii autem Curiarum, parochi, aliique archivorum custodes in communicandis documentis et eorum exemplaribus describendis tradendisque regulas servent a legitima auctoritate ecclesiastica datas, et in casibus dubiis loci Ordinarium consulant.*

Scripturas in archivo secreto asservatas Ordinarius, et quidem solus, inspicere potest, non autem efferre et multo minus authenticum exemplar postulantibus tradere. Secus censendum est de scripturis asservatis in archivo communi, dummodo eius qui postulat, inspicere aut exemplar habere intersit. Sicuti autem archivorum custodes certas hac in re normas servare debent, ita Ordinarii regulas huiusmodi conficere tenentur.

Art. III.

De examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus.

Can. 385.

§ 1. *In quavis dioecesi habeantur examinatores synodales et parochi consultores qui omnes in Synodo constituantur, propositi ab Episcopo, a Synodo approvati.*

§ 2. *Tot eligantur quot Episcopus prudenti suo iudicio necessarios iudicaverit, non tamen infra quatuor, nec ultra duodecim.*

1. Examinatores synodales primum introducti sunt a Conc. Tridentino (sess. XXIV, *de ref.* c. 18), ut ad paroeciale munus candidatos iuxta normas a Concilio ipso, item primum, praescriptas rite examinarent. Quod munus per decr. *Maxima cura* (20 aug. 1910), deinde vero per Codicem magis magisque extensum est, ut postea videbimus (cfr. comm. ad can. 389). Per idem autem decr. *Maxima cura* introducti etiam sunt parochi consultores, *quorum* Ordinarius *consensum vel consilium requiret in revisione decreti amotionis* parochorum, *quoties haec necessaria evadat* (ibid. can. 3, § 2).

2. *In quavis dioecesi habeantur* etc. — Sicuti de cancellario supra diximus, nisi dispensationem ab Ap. Sede obtinuerint, tenentur Episcopi atque ii qui Episcopis residentialibus in iure aequiparantur, binos coetus clericorum saltem quatuor Curiae dioecesanae adnectere, qui examinatorum synodolium ac parochorum consultorum nomine veniunt. Uterque coetus ordinarie in Synodo constituitur : eo nempe clero probante, in quem postea munus exercere debent ; extraordinarie vero extra Synodum. Nihil in Codice de requisitis ad munus huiusmodi suscipiendum, nisi quod parochus consultor in beneficio paroeciali constitutus esse debet ac proinde in ordine presbyterali (can. 451 § 1). Sed perspecta natura muneris, uterque coetus constare oportet presbyteris prudentia, rerum usu ac bona fama praeditis. Declaravit autem S. C. Consist. (3 oct. 1910, ad VI), non expedire ut munus examinatoris Vicario generali deferatur.

Can. 386.

§ 1. *Examinatoribus et parochis consultoribus medio tempore inter unam et aliam Synodum demortuis vel alia ratione a munere cessantibus, alios pro-synodales Episcopus substituat de consilio Capituli cathedralis.*

§ 2. *Quae regula servetur quoque in examinatoribus et parochis consultoribus constituendis quoties Synodus non habeatur.*

Ad normam can. 356 § 1, Synodus dioecesana decimo saltem quoque anno celebrari debet, nisi dispensatio obtenta fuerit ab Ap. Sede. Si igitur Synodus non habeatur vel alia de causa (veluti ex morte, excardinatione aut legitima translatione residentiae in dioecesim longinquam, graviorum poenarum irrogatione vel, si de consulto e agatur, officii paroecialis cessatione) examinatoris aut consultoris munere quis deciderit, examinator vel consultor pro-synodalis ab Episcopo substitui debet, audito, ad validitatem substitutionis (can. 105 n. 1), Capitulo cathedrali.

Can. 387.

§ 1. *Examinatores et parochi consultores, sive in Synodo sive extra Synodum constituti, post decennium ab incepto munere vel etiam prius, adveniente nova Synodo, officio cadunt ; possunt tamen negotium iam incoeptum ad exitum perducere et, servatis de iure servandis, denuo constitui.*

§ 2. *Qui loco examinatorum ac parochorum consultorum deficientium constituantur, in officio persistunt dumtaxat quousque perstitissent ii quibus substituti fuerunt.*

Aliis verbis tum examinatores tum consultores (sive synodales fuerint sive pro-synodales) facto ipso duobus modis officio decidere possunt : — 1) per celebrationem Synodi dioecesanae, quocumque tempore haec locum habeat ; — 2) post elapsum decennium, cui initium fecerit aut is qui officio cadit, aut, si de substituto agatur, alius vel alii, quibus hic fuerit substitutus : qui enim alius vicem gerit potiore iure gaudere non potest, quam is, cui substitutus fuerit. Possunt tamen (non tenentur) negotium iam coeptum ad exitum perducere et, servatis de iure servandis (idest per propositionem et approbationem synodalem, si ob Synodi celebrationem officio deciderint; secus, per actum ordinariae administrationis episcopalis), denuo constitui.

Can. 388.

Removeri ab Episcopo nequeunt, nisi ex gravi causa et de consilio Capituli cathedralis.

Tertius modus, quo examinatores et consultores, de quibus supra, officio cadere possunt, in remotione consistit. Haec tamen, ut valida sit, fieri debet ex gravi causa, habita ratione naturae muneris, et audito Capitulo cathedrali.

Can. 389.

§ 1. *Examinatores synodales operam suam diligenter navent praesertim experimentis habendis ad provisionem paroeciarum nec non processibus de quibus in can.* 2147 *seqq.*

§ 2. *Pro experimentis vero habendis ad clericorum ordinationem et approbationem sacerdotum qui petunt facultatem excipiendi sacramentales confessiones aut sacras conciones habendi, et pro examinibus de quibus in can.* 130, *integrum est Episcopo vel examinatorum synodalium vel aliorum opera uti.*

Codex de competentia examinatorum et consultorum suis locis agit; videtur autem hic de re mentionem facere, ut quaedam examinum genera excipiat, in quibus peragendis examinatorum synodalium aut pro-synodalium opera omnino necessaria non est. Prius igitur de exceptionibus videamus, postea de competentia.

Exipiuntur autem experimenta ad clericorum ordinationem, quae *Episcoporum est statuere.... coram quibus examinatoribus.... promovendi facere debeant* (can. 996, § 3); item experimenta ad confessiones sacramentales audiendas et conciones habendas, de quibus Codex suo loco nihil aliud decernit, nisi quod regulariter necessaria sunt (can. 877 § 1 et 1340 § 1); denique experimenta triennalia post expletum studiorum curriculum, quorum modus ab Ordinario est determinandus (can. 130 § 1): in hisce experimentis integrum est Ordinario examinatorum synodalium vel aliorum opera uti.

Ex adverso, horum examinatorum opera uti tenetur, quoties agitur de discutienda existentia et gravitate causae remotionis parochorum inamovibilium (can. 2148 § 1); vel de perpendendis rationibus, a parocho contrapositis (can. 2152 § 1); vel (nisi consultores in consilium adhibere maluerit) de consulendo pro viribus parocho amoto (can. 2154 § 1), aut de iisdem agendis in parochorum amovibilium remotione (can. 2159, 2160 et 2161 § 2). Item Ordinario horum examinatorum opera utendum est, quoties agitur de discutienda legitimitate causarum a clerico non residente allatarum (can. 2171 et 2174), aut denique rationum adductarum a clerico, qui concubinarius censetur (can. 2178 et 2180).

Parochorum vero consultorum opera uti tenetur Ordinarius, quoties agitur de discutiendo recursu contra decretum amotionis, a parocho apud Ordinarium interpositum (can. 2153 § 1), vel (nisi examinatores in consilium adhibere maluerit) de consulendo pro viribus parocho amoto (can. 2154 § 1), vel de perpendendis rationibus, quae translationem parochorum suadent aut minus (can. 2165).

Can. 390.

Idem potest esse examinator et parochus consultor, non autem in eadem causa.

Sunt dioeceses ac praesertim abbatiae et praelaturae *nullius*, quae paucis admodum paroeciis constant, ideoque et parvo numero clericorum. Tum vero plura sunt, quae examinatorum et consultorum constitutionem minus difficilem faciunt. Nimirum possunt Ordinarii ad id munus regulares eligere (S. Congr. Consist., 3 oct. 1910, ad IV), aut clericos extradioecesanos (ibid. ad V) ac tandem, ut habet canon, duplex munus in eadem persona cumulare.

CAPUT V.

DE CAPITULIS CANONICORUM.

Can. 391.

§ 1. *Capitulum canonicorum sive cathedrale sive collegiale seu collegiatum est clericorum collegium ideo institutum ut sollemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeat et, si agatur de Capitulo cathedrali, ut Episcopum, ad normam sacrorum canonum, tanquam eiusdem senatus et consilium, adiuvet, ac, sede vacante, eius vices suppleat in dioecesis regimine.*

§ 2. *Capitulum collegiale appellatur insigne aut perinsigne, si hoc titulo ex apostolico privilegio vel ab immemorabili gaudeat.*

1. Constat antiquitus, usque ab aetate apostolica, adfuisse Episcopis et consilio et opera *presbyterium*, nempe clericos, qui, cum ecclesiae cathedrali essent addicti, in *canone* seu catalogo eius ecclesiae inscribebantur: unde postea *de canone* seu *canonici* appellati sunt. Et re vera, scriptis apostolicis praetermissis, ubi etiam mentio quandoque occurrit *presbyterii* (I Tim. IV, 14) ac *presbyterorum* Episcopo adsistentium (Acta, XV, 2; Jac., V, 14), iam IV Conc. Carthaginiense (a. 398) praeceperat: *Ut episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet* (can. 22). Deinde: *Ut episcopus nullius causam audiat absque praesentia clericorum suorum: alioqui irrita erit sententia episcopi, nisi clericorum sententia confirmetur* (can. 23). Clarius autem Conc. Elnense (a. 1065): *Querela ad episcopum vel ad canonicos fiat.* Postea vero Alexander Pp. III (a. 1168) ad Patriarcham Hierosolymitanum: *Novit plenius tuae discretionis prudentia, qualiter tu et fratres tui unum corpus sitis: ita quod tu caput, et fratres tui membra esse comprobentur. Unde non decet, omissis membris, te aliorum consilio*

in ecclesiae tuae negotiis uti : cum id non sit dubium, et honestati tuae et sanctorum Patrum institutionibus contraire. Innotuit autem auribus nostris, quod tu sine consilio fratrum tuorum... personas ecclesiasticas instituis et destituis..... Ideoque id auctoritate apostolica prohibemus... nos enim tales institutiones et destitutiones carere decernimus robore firmitatis. (c. 4 X, *de iis quae fiunt* etc. III, 10). Quae postrema verba aperte demonstrant, Codicem nostrum hac quoque in re (cfr. can. 105, n. 1) veterem disciplinam fere instaurasse. Saeculo VIII vita communis introduci in Capitulis cathedralibus coepta erat, et inde apud clerum quarundam etiam aliarum ecclesiarum propagata : unde postea prima exempla Capitulorum collegialium, quae, tum ex piis fundationibus, tum ex facto quod haud paucae ecclesiae progressu temporis cathedrales, Capitulo tamen servato, esse desierunt, ad nostram usque aetatem plurimum aucta fuerunt. Deinde et vita communis ubique dissoluta est et abusus introducti. Hos Conc. Tridentinum (Sess. VI, c. 1 et 4 *de ref.* ; XXII, c. 4 *de ref.* ; XXIV, c. 8, 12, 16 et 17 *de ref.* ; XXV, c. 6 *de ref.*) compescere studuit. Codex vero, universam Capitulorum canonicalium disciplinam hoc in capite denuo proponit atque perficit.

2. *Capitulum canonicorum*, etc. — Postquam igitur descripta sunt constitutio, iura atque obligationes Curiae dioecesanae, quae per Vicarium generalem (unicum cum Episcopo consistorium habentem) Episcopi personae propius accedit, hic loquendum erat de Capitulis canonicorum, quibus et sollemnior forma divini cultus et, si agatur de Capitulis cathedralibus, officium quoque a iure committitur Episcopum in dioecesis regimine adiuvandi eumque, sede vacante, supplendi. Nimirum naturam Capitulorum adamussim definit, omnia et sola elementa complectens ad Capitulum canonicorum constituendum necessaria. Itaque sunt Capitula personae morales collegiales : ideoque possunt, ad normam can. 101, omnes actus ponere a iure permissos et, quia morales, minoribus aequiparantur (can. 100 § 3). Nullus autem a iure titulus sese appellandi Capitulum insigne aut perinsigne amplius admittitur, nisi qui in privilegio apostolico, quod probari possit, consistat aut in huiusmodi praerogativae quasi-possessione immemoriali, quae, ad normam can. 63 § 2, concessi privilegii legitimam praesumptionem inducit.

Can. 392.

Capitulorum tum cathedralium tum collegialium institutio seu erectio, innovatio ac suppressio Sedi Apostolicae reservatur.

Capitulorum constitutio iure mere ecclesiastico nititur. Jam vero Capitulum institui seu erigi dicitur, cum primum constituitur ; sup-

primi, cum e medio tollitur ; innovari, cum, post spatium centum annorum, a quo unicum membrum superstes interierit (cfr. can. 102), forte extinctum aut legitime suppressum, restituitur.

Can. 393.

§ 1. *In qualibet ecclesia capitulari sint dignitates et canonici inter quos varia officia distribuantur ; possunt esse etiam alia minora beneficia in uno vel pluribus gradibus.*

§ 2. *Capitulum constat dignitatibus et canonicis, nisi, ad dignitates quod attinet, aliud ex capitularibus constitutionibus eruatur ; non autem inferioribus beneficiariis seu mansionariis, qui canonicis auxilium praestant.*

§ 3. *Canonicatus sine adnexis emolumentis ne instituantur sine speciali Apostolicae Sedis concessione.*

1. *In qualibet ecclesia capitulari*, etc. — Possunt Capitula canonicorum duplici modo considerari. Primo modo, qua personae morales collegiales sunt in suo genere perfectae, et tum merito dicuntur, sicuti collegium S. R. E. Cardinalium (cfr. can. 237 § 1), ita consistere, ut qui praeest primus sit inter aequales. Alter modus considerandi, Capitula cathedralia exclusive respicit, nempe qua Episcopi senatum ex iuris dispositione constituunt. Siquidem, sub hoc respectu, Capituli caput Episcopus est, qui primus inter aequales absque dubio dici non potest. Id verum : non tamen Episcopus proprie dicitur esse de corpore Capituli, qua talis, nisi beneficio episcopali, capitulare beneficium legitime coniunctum fuerit. Quocirca Fagnanus (*Comment. in libr. Decretal.*, III ad cap. *Postulastis*, n. 25) ait : *Aut Episcopus est canonicus in sua ecclesia, et debet sedere immediate post eum qui praeest Capitulo ; aut in alia ecclesia et debet sedere in loco canonicatus.* Sed haec, post Codicem, amplius vera non sunt : nam ius praecedentiae super omnes clericos dioecesis, quod Codex ubique tribuit Vicario generali, sive canonicus fuerit sive minus, *a fortiori* ad Episcopum pertinet. Dicendum igitur est, Episcopum in casu actibus capitularibus, tanquam primam dignitatem, semper praeesse. Hisce de Episcopo praemissis, in qualibet ecclesia capitulari, ut canon ait, sive cathedralis ea fuerit sive collegiata, esse debent et dignitates et canonici, inter quos varia officia capitularia distribuenda sunt. Haec officia non eadem sunt in unoquoque Capitulo, vel saltem non semper eodem nomine nuncupantur. Eminent inter ea officium canonici theologi, quod ubique, et poenitentiarii, quod ubi fieri potest ex iuris praescripto nunquam deesse debet (can. 398, § 1). Sciendum igitur est, antiquitus quibusdam titulis beneficialibus ecclesiarum cathedralium adnexum fuisse ius praecedentiae et

in clericos iurisdictionem : ita titulo archidiaconali (cfr. *Jus pontif.*, 1923, p. 143) adnexum erat ius ad principem post Episcopum locum obtinendum nec non iurisdictio in dioecesim universam ; titulo vero archipresbyteratus seu decanatus ius ad secundum locum et iurisdictio in clericos quoad ea, quae ad officium sacerdotale spectant (c. 1-4 X, *de off. archipresb.*, I, 24) : aliis verbis, ut ait Card. De Luca (*De praeeminent.*, disc. 20, n. 13), sicut Archidiaconus in temporalibus, sic Archipresbyter erat Vicarius *natus* Episcopi in spiritualibus, nempe strictissimo sensu acceptis. Hae *dignitates* dicebantur ; eoque nomine tum quoque ex consuetudine appellari perrexerunt, cum, progressu temporis, iidem tituli beneficiales qualibet iurisdictionis potestate expoliati sunt. Quocirca recepta est a iurisperitis regula, ut in quolibet Capitulo tanquam dignitates haberentur : — 1° archidiaconatus ac presbyteratus, eo ipso quod tali nomine insigniuntur ; — 2° titulus, cui adnexum sit ius Capitulo universo praesidendi, quocumque nomine nuncupetur ; — 3° ceteri tituli capitulares, quibus coniunctam esse praerogativam dignitatis legitime probari posset. Quae regula nunc quoque applicari posse videtur : unde nullum videtur esse Capitulum, in quo una saltem dignitas, nempe Capituli praeses, non reperiatur.

2. *Capitulum constat dignitatibus*, etc. — De dignitatum ecclesiarum capitularium ante Codicem conditione haec scribebat Oietti (*Synopsis*, *v. Dignitates*) : *De iure dignitates non sunt de gremio et corpore Capituli ; sed saepe ex consuetudine vel statuto particularis cuiusdam ecclesiae considerantur ut de gremio Capituli et in eo vocem habent.* At haec regula per Codicem in oppositam ita conversa est, ut de iure *Capitulum constet dignitatibus et canonicis* ; scilicet dignitates semper sunt de corpore Capituli, nisi contrarium legitime probari possit, idest per contrariam dispositionem statutorum capitularium vel, ut putamus, legis fundationis ; non autem per contrariam consuetudinem, nisi forte haec sit centenaria aut immemorabilis ac simul, ad normam can. 5, prudenter submoveri non possit; quod perraro eventurum existimamus. Ex adverso inferiores beneficiarii in ecclesiis capitularibus existentes, quocumque nomine veniant, praesumuntur non esse de corpore Capituli, quousque contrarium probetur.

3. *Canonicatus sine adnexis emolumentis*, etc. — Ad normam can. 1414 § 2, possunt Ordinarii quaelibet beneficia non consistorialia (exceptis dignitatibus Capitulorum) erigere, dummodo tamen agatur de genuino beneficio erigendo. At canonicatus sine adnexis emolumentis, eo quod dote careant, proprie beneficia non sunt (cfr. can. 1409) ; ideoque iam vi cit. canonis erectiones huiusmodi per generalem dispositionem interdicuntur. Et tamen Legislator erectionem canonicatuum sine emolumentis speciali dispositione interdicit. Quod ideo praesertim fecisse videtur,

quod sunt alicubi, veluti in Italia meridionali Capitula, in quibus nonnullae praebendae, quae numerum a lege civili eversiva taxatum excedebant, a civili auctoritate suppressae sunt : quare canonicatus quoque iisdem respondentes non amplius conferri coeperunt. Sed postea, vi statutorum capitularium innixi et ecclesiae, Curiae ac Seminarii dioecesani necessitatibus compulsi, Ordinarii quidam nonnullos ex huiusmodi canonicatibus, qui *statutarii* dicuntur, sine respondentibus emolumentis restituerunt. Id igitur, post Codicem, sua auctoritate amplius facere non possunt.

Can. 394.

§ 1. *In Capitulis numeratis tot sint praebendati, quot praebendae ; in non numeratis, quot ex proventibus decenter sustentari posse, Episcopus, audito Capitulo, iudicaverit.*

§ 2. *Erectio dignitatum Sedi Apostolicae reservatur ; sed est in Episcopi potestate, consentiente Capitulo, extinctas forte dignitates restituere et praebendis in Capitulo iam extantibus alias sive canonicales sive beneficiales addere.*

§ 3. *In ecclesiis cathedralibus et collegialibus insignibus ubi adeo tenues praebendae sunt una cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo canonicorum decori plane sint impares, Episcopi, audito Capitulo et impetrata Sanctae Sedis licentia, vel beneficia aliquot simplicia praebendis uniant, vel, si hac ratione provideri non possit, aliquibus praebendis suppressis, cum patronorum consensu, si de iure patronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad minorem numerum reducant, ita tamen ut tot supersint, quot divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode respondeant.*

1. *In Capitulis numeratis*, etc. — Capitula numerata ea sunt, in quibus legitime numerus capitularium hac lege definitum est, ut immutari nequeat. Quae lex si desit, Capitulum, quocumque nomine veniat (sive *cleri receptitii* sive alio), non-numeratum dicitur. Potest autem Capitulum esse numeratum tum per actum R. Pontificis, tum per legitimam consuetudinem, tum per actum Episcopi cum consensu capituli, tum per legitimum Capituli statutum cum Episcopi consensu. Hisce actibus quandoque accedit iusiurandum capitularium de numero non immutando. Jam vero statim constat, in primo, altero et quarto casu non posse Episcopum numerum capitularium immutare, et, si faciat, actum esse irritum ; ex adverso autem immutare posse, cum consensu Capituli, id quod ex sua et Capituli voluntate consistit. Quisnam igitur sensus huius paragraphi ? Sane non posse augeri praebendatorum numerum, nisi simul

augeatur, servatis de iure servandis, numerus praebendarum. Sed non prohibetur Episcopus hunc numerum augere, nisi in casibus supra recensitis.

2. *Erectio dignitatum Sedi Apostolicae reservatur*, etc. — Jus vetus ita exponit Fagnanus (*Comment. in Decret.*, I, cap. *Perniciosam*, n. 70) : *Papa solus creare potest dignitates omnino novas et inusitatas : episcopi autem id non possunt, ut tenent multi... quorum sententiam secuta est sacra Congregatio Concilii. Saepius enim declaravit posse episcopum de consensu capituli in cathedrali ecclesia erigere novam dignitatem, dummodo sit ex iis, quae usitatae sunt* (nempe in Ecclesia universa) *et sacris canonibus cognitae. Quod similiter non pervenit ex vi reservationis apostolicae, sed quia sola Romana ecclesia a principio instituit dignitates, idest ordinavit quae dignitates essent in ecclesia. Et ideo potest quidem episcopus cum suo capitulo novam dignitatem, puta sacristam* (haec namque dignitas in Ecclesia usitata est), *quae non erat in ecclesia sua, ibidem instituere.* Hanc vero regulam Codex subvertit statuitque principium, omnium dignitatum erectionem (sive de usitatis sive de inusitatis ageretur), post diem 19 maii 1918 Ap. Sedi reservari. Tamen Episcopo potestas relicta est restituendi, consentiente Capitulo et praebenda simul restituta (cfr. can. 393 § 3), dignitates in suo territorio olim existentes, sed progresu temporis extinctas. Ea autem de causa Capituli consensus requiritur, quod agitur de ipsa Capituli constitutione.

3. *In ecclesiis cathedralibus*, etc. — In primis non agitur in paragrapho de ecclesiis collegiatis non insignibus : proinde praeceptum quod hic Episcopis fit, has ecclesias non respicit. Deinde beneficia simplicia, quodcumque fuerit eorum nomen, ea sunt, quibus adnexum non est onus residentiae (cfr. can. 1411 n. 3). Debent autem praebendis uniri rationabili proportione servata.

CAN. 395.

§ 1. *In ecclesiis tam cathedralibus quam collegialibus in quibus nullae sunt quotidianae distributiones vel ita tenues ut verisimiliter negligantur, Episcopi tertiam partem separent fructuum, proventuum, obventionum quae ex dignitatibus, canonicatibus, officiis aliisque illius ecclesiae beneficiis percipiuntur et in distributiones quotidianas convertant.*

§ 2. *Si distributiones quavis de causa introduci nequeant, Episcopus in dignitates, canonicos ac beneficiarios negligentes pecuniarias constituat mulctas, quae distributionibus respondeant earumque locum teneant.*

§ 3. *Distributiones cedunt diligentibus, quavis collusione aut remissione exclusa ; si vero dignitates habeant proventus a massa seu bonis canonicorum diversos et separatos, distributiones ab eis amissae cedunt aliis dignitatibus*

praesentibus, si adsint, secus fabricae ecclesiae, quatenus indigeat, aut alii pio loco, Episcopi arbitrio.

§ 4. *Ab unoquoque Capitulo, secundum sua cuiusque statuta, unus vel plures censores seu « punctatores » nominentur, qui absentes a divinis officiis quotidie notent, praestito prius coram Capitulo vel eius praeside iureiurando de suo munere fideliter obeundo ; quibus Episcopus alium addere potest punctatorem ; quod si abfuerint punctatores, senior e canonicis qui adsunt, illorum vices suppleat.*

1. Capitulis alendis inserviunt (ideoque ad eorum constitutionem pertinent) praebendae, de quibus supra mentio facta est, massa communis et distributiones, de quibus hic praesertim Legislator agit. Quocirca animadvertendum est, antiquitus ex eadem massa communi et Episcopum et presbyterium seu Capitulum vixisse, idque tum praecipue cum communio inter eos vitae floreret. Vita communi dissoluta, proventus quoque dividere necesse fuit : inde singulae singulis capitularibus praebendae alicubi tributae, alicubi vero massa communis in commodum universi Capituli constituta. Sed postea alia quoque massae communis nomine significata sunt, veluti bona, quorum reditus et cultui fabricae ecclesiae et simul quotidianis distributionibus, imo et distributionibus annuis inservirent. Insuper, auctore (uti narrant) Ivone Carnutensi († a. 1115), ad excitandam diligentiam canonicorum, introductae sunt distributiones quotidianae, quarum ea est natura, ut, qui perceperit, earum dominus sit pleno iure (cfr. Benedict. Pp. XIV, *De Synodo dioec.*, l. XIII, c. 12, n. 22) : sunt namque stipendium laboris, quem capitularis sustinuit ; nulla idcirco de causa, post laborem legitime praestitum (nempe per adimplementum omnium choralium obligationum), detrahi possunt ac proinde minime veniunt sub nomine *fructuum beneficii*, de quibus in can. 729, n. 2, 1472, 1473, 1481, 2266, 2359 § 1, 2403.

2. *In ecclesiis tam cathedralibus*, etc. — Nullum Capitulum distributionibus carere debet et, si caruerit, Episcopus tenetur distributiones constituere ; si vero ita sint tenues, ut aut de facto negligantur aut (in Capituli constitutione) neglectum iri praevideantur, Episcopus augere tenetur, tum etiam, cum distributiones originem repetunt ex privilegio apostolico (Pont. Commiss., 16 oct. 1919). Nomine autem fructuum, de quibus in hac paragrapho, veniunt reditus beneficio adnexi, qui certe et perpetuo debentur ac percipiuntur ex solo facto possessionis beneficii. Contra, proventuum et obventionum nomine intelligendi sunt reditus, item certi ac perpetui, beneficii fructibus forte superadditi.

3. *Si distributiones quavis de causa* etc. — Causae, ob quas distributiones introduci nequeunt variae esse possunt, veluti si reditus praebendae post leges eversivas e publico civili aerario capitularibus tribuantur:

sed eo omnes recidunt, quod aut impossibile sit Episcopo aut valde difficile reditibus manus apponere. Mulctae vero, quia distributionum locum tenere debent, eius ponderis sint oportet, ut, personarum ac locorum adiunctis consideratis, finis diligentiam capitularium excitandi rite attingatur.

4. *Distributiones cedunt diligentibus* etc. — Diligentes igitur capitulares et distributiones ad se spectantes et distributiones a negligentibus amissas, nempe *fallentias*, percipiunt. Aliud est collusio, aliud remissio : illa praecedit et pactum continet de non notandis aut exigendis fallentiis ; haec sequitur et nullum continet pactum. Utraque prohibita et ab Episcopo congruis poenis plectenda est, ac praeterea tenetur collusor de proprio restituere fallentias, quae diligentibus accrescere debent.

5. *Ab unoquoque Capitulo* etc. — Ad fallentias notandas introducti sunt punctatores. Ad rem Benedictus Pp. XIV (*De Synodo dioec.*, l. IV, c. 4, n. 2), postquam commemoravit decretalem Bonifacii Pp. VIII (c. un. *de cler. non resident.* in VI) a Conc. Tridentino (Sess. XXIV, c. 12 *de ref.*) instauratam, subdit : *Verum facile eluderentur tot salutares constitutiones, nisi in singulis cathedralibus et collegiatis ecclesiis certi et designati forent canonici seu alio quocumque nomine nuncupentur beneficiarii, quibus, onus incumberet accurate adnotandi quotquot in choro aliisque sacris functionibus desiderantur et quibus nominatim diebus aut a qua speciatim divini officii parte hic aut ille se subducat. Qui vero ad eiusmodi munus destinantur olim dictos fuisse « obedientiales », quasi ex mera obedientia invisum munus subirent inquirendi in aliorum negligentiam, ex quodam diplomate Innocentii III* (a. 1198-1216) *colligi autumat Petrus Morettus in suo opere « De ritu dandi presbyterium » (p. I, sect. 5, n. 3). Nunc autem communiter dicuntur « punctatores »; atque ad id muneris in singulis ecclesiis duo plerumque deliguntur, tum ut, uno impedito, alter non desit ; tum potissimum, ut alicuius a choro absentiam ambo uniformiter testantes, omnem a se removeant suspicionem fraudis. Ex his duobus, unum deputandum a Capitulo, alterum ab Episcopo decrevit S. Carolus Borromaeus in I Conc. Prov. Mediolanensi (tit. De officio punctatoris, part. 1) « ut.... officium melius exerceatur neminique aliquid iniuste aut remitti aut adimi possit ».... ; quibus vestigiis laudabiliter et sancte plures alii Episcopi inhaeserunt.* Tenetur igitur Capitulum gravi obligatione punctatores nominandi ad normam statutorum ; punctatores vero ex iure communi in susceptione muneris iurare tenentur se commissum munus fideliter obituros. Ex adverso Episcopus punctatorem addere potest, non tamen necessario tenetur (1).

---

(1) Juxta iurisperitorum communem sententiam praesertim *punctandi* sunt et distributionibus privandi : — 1) canonici in choro confabulantes ; — 2) praesentes sine veste praescripta ; — 3) absentes a concione tempore Quadragesimae ; — 4) absque iusta causa non intervenientes publicis processionibus ; — 5) uni horae canonicae de-

Can. 396.

§ 1. *Collatio dignitatum tum in Capitulis cathedralibus tum in collegialibus Sedi Apostolicae reservatur.*

§ 2. *Prohibetur optio, reprobata contraria consuetudine, sed salva fundationis lege.*

§ 3. *Prima saltem dignitas in Capitulo cathedrali, quantum fieri potest et ceteris paribus, laurea in sacra theologia vel iure canonico polleat.*

1. Modo Legislator pertransit ad tractandum de dignitatum et canonicatuum (inter quos praebenda theologalis ac poenitentiaria praecipuum locum tenent) collatione, munere atque requisitis, quae in candidatis desiderantur. Jam vero, ante dissolutionem vitae communis, quam per saec. IX in Capitulis floruisse vidimus, extra omnem quaestionem est, omnia ecclesiarum officia ab Episcopo conferri solere, audito presbyterio seu Capitulo ecclesiae cathedralis: nemo enim, sine praevia destinatione ad peculiare officium ecclesiasticum, sacram tum ordinationem suscipiebat, cuius ius exclusivum ad Episcopum pertinet. Sed postea, cum non possent Episcopi iis iuribus Capitula omnino expoliare, quibus, vita communi perdurante, fruebantur in dioecesi simul cum Episcopo regenda, ideo, pro rerum ac personarum adiunctis, ad beneficiorum capitularium collationem quod attinet, vel per consuetudinem vel per conventionem varii modi introducti sunt, qui, iuxta Fagnanum (cap. *Cum ecclesia Vulterana*, *De elect.*, n. 2), ad quatuor reducuntur: collatio beneficii per Ordinarium *irrequisito Capitulo*; collatio *audito Capitulo*; collatio *de consensu Capituli*; denique *collatio simultanea* per Ordinarium et Capitulum, quae postea, ad incommoda vitanda, ad systema *alternativae* redacta est, per quam nonnullis anni mensibus ad Ordinarium, ceteris vero pleno iure ad Capitulum collatio spectabat. Unde ulterius consecutum est, tale ius alicubi factum esse toto anno exclusivum in favorem Capituli, alicubi vero in favorem Ordinarii. Neque deerant exempla processus omnino contrarii, vi cuius Capitulum ipsum cathedrale beneficia conferebat *de consensu*, *audito*, imo etiam penitus *irrequisito Ordinario*. Ex adverso, in ecclesiis collegiatis praxis electionis praevaluit, quam confirmatio Ordinarii sequebatur. Haec omnia, uti patet, salvis reservationibus ordinariis (nempe quoad beneficia universa intra determinatum semestre vacantia, necnon quoad primam dignitatem) aut extraordinariis Ap. Sedis. Porro machina haec implicatissima funditus per Codicem subversa est, prout etiam postea videbimus in can. 403 explicando. Modo agendum nobis est de collatione dignitatum Capitulorum.

---

ficientes; — 6) qui ad Missam conventualem ante finem ultimi *Kyrie eleison* non veniunt; — 7) qui non canunt aut hic illic vagantur aut ante finem Missae a choro discedunt.

2. *Collatio dignitatum tum in Capitulis* etc. — Omnium dignitatum collatio (earum quoque, quas, forte extinctas, Episcopus restituerit, etiamsi valde exigua, imo nulla — cfr. can. 393 § 3 — emolumenta adnexa habeant, prout Pont. Comm. respondit, 1 iul. 1922) post promulgationem Codicis Ap. Sedi reservatur. Quia tamen per hanc legem privilegia apostolica antea legitime quaesita revocata non sunt, etiam nunc quoad primae dignitatis collationem integra manent (cfr. can. 4).

3. *Prohibetur optio, reprobata* etc. — Jus optionis saec. XII per consuetudinem introductum esse videtur et in hoc consistebat, ut, dignitatis vel canonici in officio senioris iure resoluto, senior (et, eo suo iuri renuntiante, qui immediate succedebat per ordinem) per meram voluntatis declarationem, intra tempus utile di erum viginti (S. Congr. Conc., in *Maceraten.*, 22 dec. 1832) expressam, et subsequentem captionem possessionis, in officium ac pinguiorem praebendam ita vacantem (vel, si officio praebenda inseparabiliter coniuncta non esset, in praebendam tantium) succederet. Quod si vacans praebenda cum officio inseparabiliter non esset coniuncta, ne sub reservatione quidem Ap. Sedis, ut Card. De Luca placet (*De pens.*, disc. XV, n. 2 et 4), cadebat, neque ad coadiutorem cum futura successione eius, cuius ius resolutum diximus, pertinebat, sed liberae antiquiorum capitularium optioni subdebatur. Quod sane et auctoritatis et disciplinae (nam et minus digni atque idonei ad potiora officia vel saltem praebendas per optionem pervenire poterant) praeiudicium secumferebat. Haec ratio, quare per Codicem ius optionis, quod ex lege fundationis non defluat, e medio sublatum est, tum quoad dignitates tum quoad canonicatus (Pont. Comm., 24 nov. 1920), reprobata qualibet contraria consuetudine et revocato quovis contrario privilegio (ead. Pont. Comm., 16 oct. 1919). Lege autem fundationis, et quidem stricto sensu accepta (S. Congr. Conc., 9 iun. 1923), suffragante (quae ideo servata est, quod quasi-contractum continet atque ne difficultates excitarentur ex iure civili), iustitutum iuridicum optionis regitur normis ante Codicem ab Ecclesia probatis.

4. *Saltem prima dignitas* etc. — Cum dignitas huiusmodi ad normam iuris communis ab Ap. Sede confertur, ipsa Ap. Sedes quid sibi agendum sit videt. Sed paragraphi praescriptum insertum est ad usum Episcoporum, qui, ut supra innuimus, privilegio gaudeant hanc dignitatem conferendi. Scilicet tum Episcopus tenetur, si praesto sit clericus idoneus atque dignus ac insuper doctorali laurea, de qua supra, ornatus, huic primam dignitatem Capituli cathedralis conferre.

CAN. 397

Nisi aliud in statutis capitularibus caveatur, dignitatibus et canonicis secundum ordinem praecedentiae ius et officium est :

1. *Episcopi vicem supplere in peragendis functionibus sacris in sollemnioribus anni festivitatibus ;*

2. *Episcopo celebranti in pontificalibus, aspersorium in ingressu ecclesiae porrigere et presbyteri assistentis fungi officio ;*

3. *Eidem decumbenti ministrare Sacramenta ; defuncto iusta funnebria persolvere ;*

4. *Convocare Capitulum eique praeesse ac praescribere et ordinare quae ad chori directionem referantur, dummodo dignitas sit de gremio Capituli.*

1. *Nisi aliud in statutis capitularibus* etc. — Agit hic Legislator de iuribus atque officiis primae dignitatis illiusque, qui, hac impedita, eius vices supplet. Haec iura et officia primum desumenda sunt ex statutis capitularibus, quae explicite reservantur, si huius canonis praescriptis contraria fuerint. Quid autem de consuetudine contraria ? Haec utique, quoad vim obligandi, statuto aequiparari potest. Sed Legislator consuetudines contrarias hoc in canone expresse non reservavit, sicut semper facere solet, cum eas quoque, simul cum iure particulari scripto, vim suam retinere vult : veluti ex c. in can. 106 n. 3, 408 et alibi passim. Quid igitur ? Consuetudines contrariae, praescripto can. 5 subiacere videntur. Ordo vero praecedentiae inter capitulares per can. 408 definitur.

2. *Episcopi vicem supplere* etc. — Omnia quae in quatuor canonis commatibus continentur ab uno praestanda sunt, nempe aut a prima Capituli dignitate aut, hac impedita, ab eo qui secundum ordinem praecedentiae immediate succedit. Idque ex iuris communis auctoritate : quare neque prima dignitas impune renuere potest, neque Episcopus ad ea munera implenda alium designare ; imo, sede vacante vel, ad normam can. 429, impedita, ne Vicarius quidem capitularis aut generalis, qua talis, eadem munera obire potest. Sacrae autem functiones, quas Episcopus peragere debet, in *Caeremoniali Episcoporum* ac decretis S. Congr. Rituum recensentur (1).

3. *Convocare Capitulum eique praeesse* etc. — Agitur in commate de actibus stricte capitularibus, quibus proinde praeesse non possunt qui de corpore Capituli non sunt, imo, si agatur de coetibus capitularibus,

---

(1) Silicet S. Rituum Congregatio, 9 iul. 1895, decrevit, *functiones episcopales.... dignioribus, absente Episcopo, committendas, eas esse quas Episcopus in Cathedrali, si praesens esset, ipse perageret : ut suui (prater Officia et Missas pontificaliter ab Episcopo celebrari solitas iuxta Caeremoniale Episcoporum, Lib. II. cap. I. el XXXIV) processio SS.mi Sacramenti, sive in huius sollemnitate vel octava, sive in Oratione XL Horarum ; benedictiones candelarum, cinerum, palmarum et Fontis (dummodo eadem dignitas sollemnem Missam agat) ablutio pedum feria V in Coena Domini, absolutio super defunctis in Commemoratione omnium defunctorum et alia huiusmodi, tum ex communi iure tum ex cuiuslibet ecclesiae consuetudine.*

ne interesse quidem. Haec ratio quare, si dignitates non sint de corpore Capituli, prima dignitas hisce in rebus nihil potest, sed omnia a canonico, qui primum locum tenet, praestari debent. Haec etiam ratio, quare S. Congr. Conc., rogata an coadiutor praepositi capitularis Capituli coetibus praesidendi ius habeat, 11 dec. 1920 negative respondit.

CAN. 398

§ 1. *In nulla ecclesia cathedrali desit officium canonici theologi et, ubi fieri poterit, canonici poenitentiarii.*

§ 2. *Etiam in collegialibus, praesertim insignibus, officium canonici theologi et poenitentiarii constitui potest.*

1. Officium theologale originem ducit a Conc. IV Lateranensi (a. 1215), in quo, imm. mem. Innocentio Pp. III praeside, *fuit salubriter provisum in ecclesia qualibet metropolitana, ad interpretationem sacrarum scripturarum atque ad edocendum quae ad animarum curam spectant, theologum omnino eligi debere, eidem unius praebendae reditibus assignatis* (Thomassin, *De benef.*, p. I. l. II, c. 10, n. 3). Quod decretum a Conc. Basileensi ad omnes ecclesias cathedrales extensum est ac tandem a Conc. Tridentino (sess. V, c. 1 *de reform.*), *ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat*, perfectum est atque extensum ad ecclesias collegiatas *oppidorum insignium*. Officium vero canonici poenitentiarii a Conc. Tridentino institutum est. Haec namque eius Concilii *Patres* decreverunt (sess. XXIV, c. 8): *In omnibus cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vacaturae, ab episcopo instituatur, qui magister sit vel doctor aut licentiatus in theologia vel iure canonico et annorum quadraginta ; seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur ; qui dum confessiones in ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur.* Pro utroque officio Codex ius vetus substantialiter servavit.

2. *In nulla ecclesia cathedrali*, etc. — In ecclesiis cathedralibus officium canonici theologi deesse non potest : officium, inquam, non autem officii titularis, qui quandoque deesse potest ob clerici idonei defectum. Graviter igitur tenetur Episcopus ex iure communi tum ad officium constituendum tum ad cavendum pro viribus ne constitutum officium titulari careat. Item pro viribus tenetur ad officium canonici poenitentiarii constituendum et titularem assignandum. Contra, ecclesiae collegiatae ambobus officiis carere possunt et Episcopus, saltem iuridica obligatione, ad nihil tenetur ; dum ex adverso ante Codicem ecclesias collegiatas *oppidorum insignium*, ut supra dictum est, negligere non poterat.

Can. 399

§ 1. *Canonicus theologus et poenitentiarius eligantur qui optiores pro loci qualitate ad propria munera adimplenda reperiantur ; sed, ceteris paribus, praeferantur doctores in sacra theologia, si agatur de canonico theologo, in sacra theologia vel iure canonico, si de poenitentiario ; expedit praeterea ut canoninus poenitentiarius aetatis annum tricesimum expleverit.*

§ 2. *Praebenda theologalis et poenitentiaria ne conferantur, nisi prius de vita, moribus, doctrina candidatorum plane constiterit, salva lege concursus, ubi sit constituta.*

§ 3. *Canonicus poenitentiarius prohibetur aliud simul officium in dioecesi suscipere aut exercere, cui adnexa sit iurisdictio in foro externo.*

1. *Canonicus theologus et poenitentiarius*, etc. — Harum praebendarum collatio, salvis iuribus aliis legitime quaesitis, ad Episcopum pertinet, qui tamen eam ad normam iuris communis peragere debet. Quocirca advertendum in primis est, praebendam cui coniunctum sit munus sacrae scripturae populo explanandae, post Pii Pp. XI motu-propr. *Bibliorum scientiam*, 27 apr. 1924, sine pontificia dispensatione nemini amplius conferri posse, qui aut Institutum biblicum Urbis non frequentaverit in eoque saltem baccalaureatum sit assecutus ; aut ad minus, in biblicis disciplinis alibi eruditus, doctrinae suae periculum in Urbe non fecerit consecutusque sit gradum academicum, qui *licentiae* nomine venit (cfr. *Jus pontif.*, 1924, p. 70). Quibus novissimis dispositionibus Codici ipsi subrogatum est. Alia requisita sunt quodammodo relativa, nempe hisce praebendis *aptiores pro loci qualitate* eligendi sunt. Neque amplius tenet ius particulare, vi cuius ex Benedicti Pp. XIII constit. *Pastoralis officii* (19 maii 1725) in Italia et adiacentibus insulis et ex concordato Napoleonico a. 1802 subsignato in Gallia laurea in sacra theologia requirebatur. Sed, *ceteris paribus*, Episcopus tenetur ad doctorem praeferendum.

2. *Salva lege concursus*, etc. — Ex iure communi concursus non requiritur. Sed canon reservat ius particulare, vi cuius alicubi utraque praebenda per concursum confertur: quod ius quandoque per RR. Pontificum constitutiones, quandoque vero per concordata sancitum est.

3. *Canonicus poenitentiarius prohibetur*, etc. — Per Codicem universum huius propensionis, per quam Legislator nititur iurisdictionem in foro externo a sacramentali separare, vestigia reperiuntur : idque ad abusus ac perplexitates vitandas. Hic vero expresse prohibet, ne canonicus poenitentiarius intra fines dioecesis, ad quam eius sacramentalis iurisdictio extenditur, officia suscipiat aut, si susceperit, exerceat, quibus adnexa sit iurisdictio in foro externo, veluti officium Vicarii generalis (cfr. can. 367 § 3) aut Capitularis, Officialis, promotoris iustitiae, defensoris vinculi vel delegati episcopalis tum ad singulam causam dirimendam tum, *a fortiori*, ad universitatem causarum.

Can. 400.

§ 1. *Canonici theologi est, diebus et horis ab Episcopo cum Capituli consilio designatis, publice in ecclesia explanare sacram Scripturam; sed Episcopus, si id utilius iudicet, potest eidem alia doctrinae catholicae argumenta in ecclesia explicanda committere.*

§ 2. *Canonicus theologus munus expleat suum ipse per se, vel, si ultra sex menses fuerit impeditus, propriis expensis per alium sacerdotem ab Episcopo deputandum.*

§ 3. *Episcopus gravi de causa potest canonico theologo committere ut, loco lectionum in ecclesia, sacras disciplinas in Seminario doceat.*

1. *Canonici theologi est*, etc. — Juxta Conc. Tridentinum, ut supra vidimus (cfr. comm. ad can. 398 n. 1), officium peculiare est canonici theologi sacram scripturam publice in ecclesia capitulari explicare, nempe exegetica methodo adhibita. At postea canonistae ampliore modo naturam muneris interpretati sunt : scilicet ut posset implere officium suum theologiam dogmaticam vel moralem docendo. Quam doctrinam Codex recepisse videtur, imo et ampliasse ad quaecumque *alia doctrinae catholicae argumenta* ; ita tamen, ut sine Episcopi consensu id canonicus theologus facere non possit.

2. *Canonicus theologus munus expleat*, etc. — Ad normam praeced. canonis in canonicum theologum is eligendus est, *qui aptior pro loci qualitate ad propria munera adimplenda reperiatur* : hinc est quod per se debeat ipse munus suum explere. Cum autem non solum munus huiusmodi ad substantiam obligationum capitularium canonici theologi pertineat, sed praeterea publice intersit ne negligatur, inde canonicus theologus, etiam ex copiosissima S. Congr. Concilii iurisprudentia (cfr. canonis fontes) tenetur ad munus, suis expensis, per alium implendum, quoties ultra sex menses impeditus fuerit, tum quoque cum impedimentum ex infirmitate oritur, non obstante praescripto can. 420 § 1 n. 5, imo indulto ipso iubilationis (S. Congr. Conc., in *Anagnina*, 15 maii 1700 et 30 iul. 1701).

3. *Episcopus gravi de causa*, etc. — Agitur de exceptione, finem, quem Ecclesia in praebenda theologali constituenda prosecuta est, funditus subvertente. Haec ratio, quare nonnisi ex gravi causa, veluti Seminarii inopia vel cleri defectus, potest Episcopus canonico theologo committere ut, loco lectionum in ecclesia, sacras disciplinas in Seminario doceat. Tum vero, quia duo munera inter sese aequiparari censentur, potest Episcopus exigere, ut praestatio sit gratuita. Canonicus autem, Episcopi praecepto ita obediens, munere suo fungi merito dicendus est (S. Congr. Conc., 9 iul. 1921), ideoque nec tenetur ad alium sibi suis expensis substituendum (ibid.), nec, quamvis pro lectionibus in Seminario peculiare stipendium percipiat, distributiones chorales quotidianas amittit (ibid.).

Can. 401.

§ 1. *Poenitentiarius canonicus tum ecclesiae cathedralis tum ecclesiae collegialis obtinet a iure potestatem ordinariam, quam tamen aliis delegare non potest, absolvendi etiam a peccatis et a censuris Episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque, et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis.*

§ 2. *Debet in sede excipiendis confessionibus sibi in capitulari ecclesia destinata residere tempore ad fidelium commoditatem, iudicio Episcopi, opportuniore et praesto esse iis qui ad confitenda sua peccata accedunt, ipso quoque divinorum officiorum tempore.*

1. *Poenitentiarius canonicus*, etc. — Canonicus poenitentiarius, etiam ecclesiarum collegiatarum si in iis fuerit constitutus, haberi quodammodo potest tanquam Episcopi Vicarius generalis in foro sacramentali : siquidem eius officio iure coniuncta est ordinaria Episcopi hoc in foro potestas universa. Nihilominus, iuxta normam generalem per can. 874 § 1 expressam, suam potestatem canonicus poenitentiarius, non obstante can. 199 § 1, ne in singulis quidem casibus delegare potest. Est autem potestas huiusmodi, sicut in Episcopo et in parocho, territorialis simul ac personalis : qua territorialis, ea uti potest in commodum eorum omnium, sive dioecesani sint sive minus, qui ad eum accedunt intra fines territorii dioecesis ; qua vero personalis, uti ea potest in commodum subditorum dioecesanorum toto orbe.

2. *Debet in sede excipiendis confessionibus*, etc. — Prout officium ipsi concreditum postulat, debet canonicus poenitentiarius pro tribunali poenitentiae eo tempore sedere, quod ad munus explendum opportunius videatur. Et quia facile hisce in rebus oriri possunt controversiae, cavet Codex ut Episcopus suo iudicio quamlibet controversiam, si necesse sit, praecidat. Sed etiam ipso tempore divinorum officiorum (cfr. can. 413 § 2), si requisitus, praesto esse debet canonicus poenitentiarius : qua sola de causa, etiamsi alia ratio non extaret, ab altaris ministerio (cfr.can. 416) facto ipso eximitur.

3. Tandem praetermittendum non est, per can. 2384, canonici tum theologi tum poenitentiarii negligentiam, peculiari poenali sanctione plecti.

Can. 402.

Si Capitulo adnexa sit cura animarum, haec exerceatur a vicario paroeciali ad normam can. 471.

Tres sunt modi, quibus ecclesia capitularis simul paroecialis esse potest: primus modus in hoc consistit, quod paroecia in ecclesia capi-

tulari erecta sit at nullo modo Capitulo unita ; alter modus consistit in hoc quod paroecia iure minus pleno, nempe ideo tantummodo unita sit Capitulo, quia officium paroeciale praebendae capitulari perpetuo cohaeret; tertius modus, de quo in canone, in hoc consistit, quod paroeciale officium pleno iure Capitulo sit unitum, cum nempe perpetuo cohaeret ipsi Capitulo. Quare illic nihil commune nisi templum ; istic et templum et quodammodo officium paroeciale, nempe mediante persona canonici -parochi ; hic plenissime et templum et officium paroeciale. Quia vero nulla persona moralis potest, ut per se patet, actualem animarum curam exercere, ideo, praesertim post Conc. Tridentinum (Sess. VII, c. 7), haec exerceri debet per clericum vice et nomine Capituli. Praeterea in primo et altero casu parochi constitutio independenter a Capitulo fit ; in tertio salvis iuribus aliis legitime quaesitis, ex Capituli praesentatione et Episcopi institutione (can. 471, § 2). Semper autem cura animarum, cum omnibus parochi iuribus atque obligationibus, sed salvo praescripto can. 415, ad parochum spectat aut ad vicarium paroecialem (can. 471, § 4).

CAN. 403.

Exceptis dignitatibus, ad Episcopum pertinet, audito Capitulo, conferre omnia et singula beneficia ac canonicatus in ecclesiis tum cathedralibus tum collegialibus, reprobata qualibet contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio, sed firma contraria fundationis lege et praescripto can. 1435.

Ut supra vidimus (cfr. comm. ad can. 396, n. 1), ante promulgationem Codicis multimode deminuta erat libertas Ordinariorum in beneficiis ecclesiarum capitularium conferendis. Hoc autem maximi momenti canone libera collatio fere omnino restituta est, excepto tantummodo casu, quo lex fundationis, et quidem stricto sensu accepta (S. Congr. Conc., 9 iun. 1923), aliud caveat ac praeterea exceptis, ut planum est, reservationibus apostolicis (can. 1435), iure patronatus atque iura ex concordatis forte defluentia (can. 3). Hac vero lege canon *omnia et singula beneficia* comprehendit : quare nullimode intelligere possumus, quo pacto Wernz-Vidal (*Jus canonicum*, II, n. 665) asserere potuerit, *beneficiorum in Capitulis inferiorum provisionem ad quem pertineat iure Codicis non definiri*, ideoque *hac in re iuribus ante Codicem legitime quaesitis standum esse.*

Can. 404.

§ 1. *Canonicatus Episcopus conferat sacerdotibus doctrina vitaeque integritate praestantibus.*

§ 2. *In canonicatuum collatione, ceteris paribus, ratio habeatur illorum qui doctores in sacra theologia vel iure canonico renuntiati fuerint in aliquo athenaeo, vel laudabiliter ministerium ecclesiasticum aut magisterium exercuerint, firmo praescripto can.* 130, § 2.

Per can. 130 § 2, iubetur Ordinarius eorum etiam, ceteris paribus, rationem habere, qui, in triennalibus periculis faciendis post expletum studiorum curriculum, magis praestiterunt. Haec autem omnia remittuntur Ordinariorum conscientiae ac prudenti iudicio. Nequeunt praeterea hac in re Ordinarii negligere responsionem, qua Pont. Commissio die 26 nov. 1922 edicebat, *abrogatas esse leges particulares, revocata privilegia et reprobatas consuetudines, vi quarum canonicatus nonnisi indigenis seu civibus originariis civitatis in qua sedem habet ecclesia, conferri possint aut isti ceteris praeferri debeant, salva contraria lege fundationis et firmo praescripto can.* 3 *et* 1435 § 3 : *ita tamen, ut etiam in hisce casibus, si nullus inter indigenas reperiatur idoneus seu dignus, canonicatus conferri debeant aliis idoneis et dignis, ad normam can.* 404. Quae vero de canonicatibus hic sanciuntur, de dignitatibus quoque intelligenda sunt, firmo praescripto can. 396, § 3.

Can. 405.

§ 1. *Dignitates, canonici et beneficiarii, capta legitime beneficii sui possessione ad normam can.* 1443-1445, *statim pro gradu suo acquirunt, praeter insignia ac privilegia propria, scamnum in choro, ius percipiendi fructus ac distributiones, ac vocem in capitulo ad normam can.* 411, § 3.

§ 2. *De fidei professione ab ipsis ante captam possessionem emittenda servetur praescriptum can.* 1406-1408.

Beneficiarii, de quibus in canone, quique etiam *mansionarii* (cfr. can. 393, § 1 et 2) vel *choristae* vocantur, quia, quamvis ad corpus Capituli non pertineant, canonicis tamen auxilium praestant (ibid.) ideoque habendi sunt tanquam capituli complementum, quibusdam insigniis ac privilegiis et ipsi plerumque fruuntur et praeterea scamnum habent in choro in inferiore ordine. Non tamen vocem habent in capitulo (can. 411, § 3), nisi agatur de deliberationibus, quae ipsos quoque tangunt (cfr. Bouix, *De Capit.*, sect. 2, cap. 13). Nec tenentur, sicuti dignitates et canonici (can. 1406, § 1, n. 5) obligatione emittendi professionem fidei (ibid., n. 7). Cetera per se clara.

Can. 406.

§ 1. *Episcopo, non autem Vicario Generali, nec Vicario Capitulari, ius est canonicos ad honorem nominandi sive dioecesanos sive extra-dioecesanos cum consilio Capituli cui canonicus est adscribendus, sed Episcopus raro et caute hoc iure utatur.*

§ 2. *Sacerdotem alienae dioecesis canonicum ad honorem nominaturus, Episcopus, praeter Capituli sui consilium, Ordinarii, cui subiectus est nominandus, assensum impetret, sub poena nominationis irritae, eundemque Ordinarium insignia edoceat ac privilegia quorum usum nominandus exinde habiturus sit.*

§ 3. *Canonici ad honorem extra dioecesim in qua nominati sunt degentes, numero sint tertia parte minores canonicis titularibus.*

1. Antequam Codex i. c. promulgaretur, canonicos ad honorem (quos creandi praxis per Ecclesiam universam paullatim propagata est) nominare poterat tum Episcopus cum consensu Capituli, tum Capitulum cum Episcopi consensu : nominatio aliter facta irrita erat. Quoad numerum vero ita nominandorum in unoquoque Capitulo, nulla certa regula aderat, sed negotium consuetudinibus regebatur. Haec autem animadvertimus, ut illico pateat quousque hac de re ius vetus per Codice immutatum sit. Quoad iura vero atque obligationes nihil immutatum. Scilicet canonicis ad honorem (nisi aliud ius particulare legitime requirat) nulla inest peculiaris obligatio, si eam excipias, quae in ratione vitae delato honore dignae consistit. Quae vitae ratio si graviter defecerit, possunt ab Episcopo canonicatu honorario expoliari ; at idem tum modus procedendi adhibendus esse videtur, ac in deponendo canonico titulari : eorum namque iura, quamvis valde deminuta (ad nomen nempe atque insignia canonicorum gestanda, nec non ad stallum in choro obtinendum), sunt tamen veri nominis iura canonicalia.

2. *Episcopo, non autem* etc. — Nominatio canonicorum ad honorem ad unum Episcopum pertinet, audito tamen ad validitatem actus (cfr. can. 105, n. 1) eo Capitulo, cathedrali aut collegiali, cui canonicus est adscribendus ac praeterea, si de nominando clerico extra-dioecesano agatur, eius Ordinarii necnon Capituli sui cathedralis consensu praehabito. Quare id facere non potest Vicarius capitularis, nec Vicarius generalis ne de mandato quidem speciali (cfr. comm. ad can. 368, n. 3).

3. *Sed Episcopus raro et caute* etc. — Ut haec canonis verba recte intelligantur, prae oculis habendae sunt Leonis Pp. XIII litt. ap. *Illud est proprium* (29 ian. 1894), ubi Pontifex ita argumentatur: *At temporibus nostris nonnulli sunt qui pristinae institutionis immemores, canonicorum collegia tamquam honoratorum ordines esse autumant, in quibus nullum*

onus, sed dignitatis tantum et honoris tituli inhaereant. Ex quo fit ut, cum humanum sit onus defugere, honores et dignitates appetere, non parvus sit numerus eorum, qui studeant, saltem honoris causa, inter canonicos cooptari... Sacerdotes autem huiusmodi, plerique iuniores, qui parum vel nihil in Ecclesiae bonum contulerunt,... externos circumeunt Antistites, ut ab iis honoris insignia titulosque, a suis negatos, extorqueant. Et hinc est, quod consensus quoque proprii Ordinarii ad huiusmodi nominationum validitatem requiritur.

4. *Canonici ad honorem extra dioecesim*, etc. — Nimirum, eadem iugiter de causa, Legislator cavet, ne numerus canonicorum ad honorem *extra dioecesim degentes* (idest, comprehendens tum eos qui in dioecesi incardinati sunt sed in ea non resident, tum extra-dioecesanos) duas tertias partes excedat canonicorum titularium, eorum nempe qui et canonicatum et respondentem praebendam in titulum habent cum omnibus canonicorum iuribus atque obligationibus. Et videtur hic, sicut et alibi passim, canonicorum nomen latius accipi a Legislatore, ita ut dignitates quoque comprehendat.

Can. 407

§ 1. *Canonici ad honorem alicuius basilicae vel ecclesiae collegialis almae Urbis, privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra eiusdem basilicae vel collegiatae ecclesiae eiusque filialium ambitum ; canonici vero ad honorem aliarum ecclesiarum extra Urbem, privilegiis et insignibus utantur in dioecesi tantum ubi nominati sunt, non autem extra dioecesim, nisi ad normam can.* 409, § 2.

§ 2. *Canonici ad honorem, praeter insignia et privilegia seu iura honorifica, obtinent etiam scamnum in choro.*

De hoc canone pauca sunt animadvertenda. Ambitus, de quo in paragrapho prima, ita videtur intelligendus, ut eo usque se extendat, extra ipsarum basilicarum filialiumque muros, quo earum ecclesiarum iura pertingunt. Canon autem 409 § 2 decernit canonicos titulares, cum Episcopum comitantur vel Episcopum aut Capitulum repraesentant, posse vestem choralem aut specialia insignia capitularia extra dioecesim adhibere.

Can. 408.

§ 1. *Capitulum cathedrale praecedit collegiali, etiam insigni, in ipsa quoque collegiali ecclesia ; Capitulum insigne praecedit non insigni ; in eodem Capitulo, salvis peculiaribus statutis vel legitimis consuetudinibus, dignitates, servato inter se praecedentiae ordine, praecedunt canonicis ;*

canonici antiquiores, qui nempe prius possessionem ceperunt, posterioribus ; canonici titulares, honorariis ; honorarii, beneficiariis ; dignitates vero aut capitulares charactere episcopali ornati omnibus dignitatibus ac canonicis in presbyterali tantum ordine constitutis praecedunt.

§ 2. *In Capitulis in quibus habentur distinctae praebendae presbyterales, diaconales, subdiaconales, servetur praecedentia ordinis ; et in eodem ordine praecedentia receptionis in ordinem, non autem in Capitulum.*

1. *Capitulum cathedrale praecedit*, etc. — *Mare magnum* controversiarum, quae Capitulorum praecedentiam respiciunt, ingredi nolumus : quare quaedam tantummodò utiliora adnotabimus de praecedentia tum Capitulorum tum capitularium, sive inter sese, sive quoad alia collegia vel coetus aut singulares personas. De praecedentiae Capitulorum inter sese, advertendum est Capitulum cathedrale, ut canon expresse cavet, sive saeculare fuerit sive regulare, collegiali praecedere in ipsa quoque ecclesia collegiali ; item intra fines dioecesis praecedere cuilibet alii collegio seu coetui, veluti regularium, etiam exemptorum, vel parochorum, in ipsa quoque ecclesia regulari exempta (S. Rituum Congr., 7 maii 1639) aut paroeciali ; sicuti etiam, Vicario generali excepto, cuilibet personae physicae intra fines dioecesis habitualiter degenti et episcopali charactere carenti, quamvis ab Episcopi iurisdictione exemptae (cfr. e. c. S. Rit. Congr., 8 iul. 1602). Deinde : Capitulum collegiale perinsigne praecedit insigni et insigne non insigni (non tamen in ecclesia propria) ; hoc autem parochis praecedit (S. Rit. Congr., 21 iun. 1639) atque omnibus inferioribus collegiis vel coetibus personisque singularibus. Haec si agatur de Capitulo, quod adesse censetur cum tres saltem (cfr. can. 100, § 2) adsunt capitulares (S. Rit. Congr., 23 maii 1639). Contra capitularibus, uti singulis, *nulla debetur praecedentia aut praerogativa* (S. Rit. Congr., 17 iul. 1640) : quare eorum praecedentia extra Capitulum regitur prioritate sacrae ordinationis. Restat igitur, ut de eorum praecedentia intra Capitulum videamus.

2. *In eodem Capitulo, salvis* etc. — Quoad praecedentiam igitur capitularium inter se, Legislator in primis peculiaria statuta (nempe Episcopi decreta ac statuta a Capitulis ipsis confecta et ab Episcopo approbata) et consuetudines legitime introductas reservat : quorum ante omnia ratio habenda est, si discrepent a iure communi. Jure particulari deficiente, huius canonis praescripta servanda sunt, per quae : 1) prima dignitas secundae praecedit, haec tertiae, et ita prorsus ; 2) dignitates, sive de corpore Capituli fuerint sive minus, canonicis praecedunt ; 3) canonici vero, si in capitulo distinctae sint praebendae presbyterales, diaconales et subdiaconales disponuntur habita ratione ordinis et in eodem ordine receptionis in ordinem ipsum ; secus, antiquitatis possessionis ; 4) canonici titulares

praecedunt honorariis et honorarii inferioribus beneficiariis. Quid autem de coadiutoribus? Capitularium coadiutores, qui vel cum vel sine futura successione ab Ap. Sede quandoque constituuntur (cfr. can. 1433), coadiuti vices gerunt: ideoque quo usque illius ius non fuerit resolutum, coadiutor cum futura successione possessionem beneficii capere non potest et coadiutoribus, quibus nullum est ius *expectativae*, prorsus aequiparatur. At praecedentia concipi nequit sine possessione beneficii (S. Congr. Conc., 11 dec. 1920). Quare dignitatum capitularium coadiutoribus locum competit post omnes dignitates titulares; coadiutoribus vero canonicorum locum competit post canonicos titulares eius ordinis, ad quem coadiutus pertinet (S. Rit. Congr., 31 mart. 1670), si in ordines praebendae divisae fuerint; secus, post omnes canonicos titulares.

Can. 409.

§ 1. *In unaquaque ecclesia tum cathedrali tum collegiali, qui in dignitate episcopali sunt constituti, deferant in choro vestem episcopalem; ceteri omnes dignitates, canonici et beneficiarii, vestem sibi in bulla erectionis assignatam vel apostolico indulto concessam; secus censeantur tanquam absentes.*

§ 2. *Vestem choralem aut specialia insignia capitularia adhibere possunt in tota dioecesi in qua est Capitulum, sed, reprobata contraria consuetudine, non extra dioecesim, nisi vel Episcopum comitentur vel Episcopum aut Capitulum repraesentent in Conciliis aliisve sollemnitatibus.*

Praeterquam per bullam erectionis vel apostolicum indultum, ius vestes quasdam gestandi aut peculiaria insignia consuetudine quoque (cfr. can. 63 § 1) nonnullis Capitulis quaesitum est. Quod si nullus ex hisce modis acquirendi Capitulo suffragetur, utendum ei est ex iure communi, pro habitu chorali, veste talari nigra ac superpelliceo. Possuntne vestis choralis ac specialia insignia, Capitulo concessa, intra fines dioecesis sed extra chorum a singulis capitularibus adhiberi? Puto post Codicem posse, excepta sacramentorum administratione (S. Rit. Congr., 31 maii 1817), idque duplici de causa: 1) Quod canon potestatem adhibendi facit *in tota dioecesi in qua est Capitulum* et nullam exceptionem statuit. Exceptio vero de administratione sacramentorum iam per se subintelligebatur, cum id caveat *Rituale romanum*, quod a Codice regulariter non est immutatum (can. 2); 2) Quod decretum generale a S. Rit. Congr. editum 31 maii 1817, quo inter alia capitularibus interdicebatur usus insignium canonicalium *extra propriam ecclesiam, si interessent uti singuli*, nisi personale privilegium suffragaretur (n. 2), inter canonis fontes relatum non est. Sed ex adverso vestis choralis aut specialia insignia adhiberi non possunt extra dioecesim, nisi in casibus in canone taxative recensitis. Et contraria consuetudo, quae ex. c. in Gallia plenissime vigebat et per ipsius S. Rit.

Congr. authenticam declarationem (7 apr. 1832) aliquatenus confirmata erat, aperte reprobatur : quare (cfr. can. 5) et omnino supprimenda est et amplius introduci non potest.

Can. 410.

§ 1. *Sua cuique Capitulo statuta ne desint, ab omnibus dignitatibus, canonicis, beneficiariis religiose servanda.*

§ 2. *Statuta capitularia, per legitimum actum capitularem condita, approbanda subiiciantur Episcopo, sine cuius auctoritate postea nec abrogari possunt nec mutari.*

§ 3. *Si, Episcopo edicente ut statuta conficiantur, Capitulum id praestare neglexerit, exacto sexto ab intimatione mense, Episcopus eadem conficiat imponatque Capitulo.*

1. *Sua cuique Capitulo statuta* etc. — Constat eam statutorum capitularium per se esse naturam, ut non profecto legis ecclesiasticae sed merae pactionis (quandoque iure iurando firmatae) vim habeant ; quare capitulares tenent ex obligatione, quam hi sive expresse sive tacite assumunt, eadem implendi : siquidem ne Capitulis quidem cathedralibus, sede plena, potestas inest legislativa ac praeterea Capitulorum praesides non sunt nisi primi inter pares. Quod autem ab Episcopo approbari debeant, nihil id aliud significat, nisi Episcopi esse videre, ne quid contra ius commune contineant ; idque eo vel magis quod quaedam statutorum dispositiones, (veluti quae ecclesiam cathedralem, idest episcopalem, respiciunt) Capitulum scorsim ab Episcopo introducere nequit : unde Episcopi recognitio statutorum capitularium naturam non mutat. Quod si Episcopus condiderit Capituloque imposuerit, tum videntur naturam sortiri legis episcopalis. Prius igitur advertendum est omnia capitularia statuta die 19 maii 1918 existentia, eo die, quoad praescripta Codici contraria et in Codice expresse non reservata, abrogata esse per ipsam Codicis promulgationem (can. 6, n. 1) eisque praescripta Codicis subrogata. Simul vero, per canonem quem modo explicamus, praeceptum est Capitulis, quae statutis eo die carebant, eadem quam primum conficiendi.

2. *Statuta capitularia per legitimum* etc. — Legitimus actus capitularis consistit in deliberatione ad normam can. 101 a Capitulo peracta. Sive igitur nova sint statuta conficienda sive vetera recognoscenda et Codicis dispositionibus aptanda, haec, quamvis per se (nisi aliter statuatur et discrimen Capitulo subeunte) vim capitulares obligandi tanquam initum pactum statim consequi videantur, debent tamen ob rationem supra allatam, Episcopi subiici iudicio, neque postea, eadem de causa, sine eius auctoritate abrogari aut mutari.

3. *Si, Episcopo edicente* etc. — Negligente Capitulo in statutis condendis aut recognoscendis, ut id intra semestre spatium praestent edicere Episcopus tenetur. Quocirca, cum S. Congr. Concilii perspectum haberet *haud pauca adesse Capitula, quae vel antiquis statutis aut solis consuetudinibus quandoque lege reprobatis* post annos quinque a Codice promulgato *adhuc regi*, ideo per litteras circulares die 25 iul. 1923 *Episcopis mandavit ut quisque proprio Capitulo terminum praestitueret sex mensium ad sua statuta conficienda vel ad iuris tramitem emendanda ; quo tempore frustra elapso, ipse Episcopus « eadem conficeret imponeretque Capitulo »*, atque post annum ab hisce datis litteris S. Congregationem certiorem faceret de iisdem statutis confectis aut emendatis deque eorum observantia. Unde post diem 25 iul. 1924 nullum extare debuisset Capitulum, qui legitimis statutis careret.

Can. 411.

§ 1. *Stato tempore ac loco conveniat canonicorum coetus de suae ecclesiae et Capituli negotiis acturus ; alii praeterea conventus haberi poterunt, quoties id aut Episcopo aut Capituli praesidi aut maiori canonicorum parti expedire videatur.*

§ 2. *Ad habendum coetum ordinarium non est necessaria specialis convocatio ; quae tamen ad extraordinarium requiritur et facienda est secundum statuta capitularia.*

§ 3. *In capitulis vocem habent canonici, exclusis honorariis, et dignitates, si una cum canonicis Capitulum constituant ad normam can.* 393, § 2.

Conventus Capitulorum vel ordinarii sunt vel extraordinarii. Ordinarius conventus stato semel pro semper tempore ac loco cogitur : unde necessaria non est specialis convocatio. Contra, convocatio peculiaris necessaria est ad habendum conventum extraordinarium et facienda est ad normam statutorum capitularium, quae ideo et hac de re speciales normas continere debent. Tres sunt casus, a Codice taxative recensiti, in quibus capitulares possunt extraordinarie convocari et, nisi sint legitime impediti, convenire debent : nempe quoties id aut Capituli praesidi, aut maioritati capitularium aut denique Episcopo expedire videatur. Qui casus postremus respicit praesertim Capitulum cathedrale, cuius Episcopus, ad gerendarum rerum validitatem (can. 105, § 1), aut quandoque consensu aut saepius (cum Capitulum cathedrale sit natura sua Episcopi senatus) consilio indiget. Taxative Episcopus Capituli consensu indiget : in restituendis extinctis Capituli dignitatibus novisque praebendis erigendis (can. 394, § 2) ; in erigendis in ecclesia capitulari confraternitatibus vel piis unionibus (can. 712, § 2) ; in alienationibus et locationibus bonorum ecclesiasticorum certi valoris atque ad certum tempus (can. 1532 § 3, 1541

§ 2 et 1653 § 1). Indiget autem consilio: in constituendis examinatoribus ac parochis consultoribus pro-synodalibus (can. 386) atque in iisdem vel synodalibus removendis (can. 388); in definiendo numero canonicorum in Capitulis non numeratis (can. 394, § 1), nec non in augendis reditibus praebendarum in Capitulis numeratis (ibid., § 3); in diebus et horis lectionis theologalis designandis (can. 400, § 1); in beneficiis capitularibus conferendis (can. 403); in canonicis *ad honorem* nominandis (can. 406); in erigendis paroeciis amovibilibus, necnon in iisdem inamovibilibus declarandis (can. 454); in casibus reservandis (can. 895); in taxis funerum statuendis (can. 1234, § 1); in processionibus extraordinariis indicendis (can. 1292); in stipe propter utensilia ceteraque ad Missae sacrificium necessaria extra Synodum definienda (can. 1303, § 4); in deputatis pro Seminario designandis (can. 1359, § 2); in beneficiis quibuslibet uniendis, dividendis, dismembrandis, transferendis (can. 1428, § 1); in dioecesano Consilio administrationis constituendo (can. 1520, § 1) ac tandem in sede paroeciali propter delictum supprimenda vel transferenda (can. 2292). Praeterea vero Episcopus Capitulum cathedrale audire debet, non tamen ad validitatem agendorum (cfr. can. 105, § 1), in ceteris rebus gravioris momenti (cfr. Indicem analyt.-alphab. v. *Capitulum cathedrale*).

CAN. 412.

§ 1. *Canonici sive ecclesiae cathedralis sive collegialis Episcopo sollemniter Missam celebranti aut alia pontificalia exercenti, etiam in aliis ecclesiis civitatis aut suburbii, ab eodem invitati, assistere et inservire debent, dummodo iudicio Episcopi sufficiens canonicorum et ministrorum in ecclesia numerus maneat: et eundem accedentem ad ecclesiam cathedralem et redeuntem comitari ad normam Caeremonialis Episcoporum.*

§ 2. *Episcopus potest duos e Capitulo sive cathedrali sive collegiali assumere ac retinere ut sibi in ecclesiastico ministerio ac dioecesis servitio assistant.*

1. *Canonici sive ecclesiae cathedralis* etc. — Haec prior canonis paragraphus comprehendit tantummodo pontificalium exercitium et quidem in civitate episcopali aut suburbio. Quae si in ecclesia capitulari locum habeant, omnes eius ecclesiae capitulares interesse debent *in corpore* ac sine praevia Episcopi invitatione (S. Congr. Conc., 9 febr. 1924): idest post meram, sed certam, notitiam Capituli praesidi transmissam; si vero locum habeant in aliis ecclesiis civitatis vel suburbii, Episcopo assistere debent ii tantum capitulares ecclesiae cathedralis aut collegiatae aut ambarum simul, qui ab eodem invitati fuerint, salvo ecclesiae capitularis servitio iuxta Episcopi iudicium.

2. *Episcopus potest duos* etc. — Et haec paragraphus altera functiones sacras universas atque omnia dioecesis loca comprehendit, quarum prima paragraphus rationem non habet ac etiam, si ita Episcopo placuerit, loca atque functiones, de quibus ibidem est sermo ; scilicet Legislator Episcopis facultatem facit capitulares duos permanenter quoque assumendi, qui ubique locorum, intra fines dioecesis, nedum *in ecclesiastico ministerio* (nempe in omnibus sacris functionibus cuiuscumque generis, quas uti dioecesis pastores peragunt), verum etiam *in dioecesis servitio assistant* : nempe, ut ait Andreucci (*De pace tuenda*, n. 39), *sive ad negotia tractanda, sive ad dioecesim lustrandam, quando et quomodo ipse, idest Episcopus, expedire iudicaverit.* Capitulares vero ita vocati, ex iuris communis praescripto, parere tenentur.

CAN. 413.

§ 1. *Quodlibet Capitulum obligatione tenetur quotidie divina officia in choro rite persolvendi, salvis fundationis legibus.*

§ 2. *Divinum officium comprehendit psalmodiam horarum canonicarum et celebrationem cum cantu Missae conventualis, praeter alias Missas vel secundum rubricas Missalis vel ex piis fundationibus celebrandas.*

§ 3. *Missam conventualem sine cantu celebrare licet hebdomadario, cum in ecclesia. pontificali ritu, Episcopus vel alius loco Episcopi celebrat.*

1. *Quodlibet Capitulum obligatione tenetur* etc. — Haec paragraphus et praeceptum et clausulam excipientem continet. Vi praecepti. quodlibet Capitulum, idest Capitulum universum sive cathedrale sive collegiale, ad divinum officium, in subsequenti paragrapho descriptum, quotidie persolvendum tenetur. Haec lex : modo de clausula videamus. Nimirum per adiectam clausulam hac lege non tenentur ea Capitula, in quorum tabulis fundationis statutum est, vel ut Capitulum universum non quotidie sed quibusdam diebus tantum ad divinum officium teneatur ; vel ut quotidie quidem teneatur, sed tantummodo per dimidiam (*mediariam*), tertiam (*tertiariam*) aut quartam (*quartariam*) Capituli partem ope turnorum. Et haec plana : cum enim nihil in canonibus praeliminaribus Codicis de legibus fundationis expresse caveatur, sed solummodo de legibus stricte acceptis (can. 6), de consuetudinibus (can. 5) ac privilegiis (can. 4) apostolicis (dum saepe saepius leges fundationis episcopali tantummodo auctoritate sanciuntur (cfr. can. 1414, § 2 et 1417, § 1), si Legislator huiusmodi clausulam omisisset, tabulae fundationis minime suffragarentur. Sed quid de consuetudine ac praesertim de privilegio apostolico, quod, quamvis ex. c. in can. 396 § 2 expresse non revocatum, Pont. Commissio (16 oct. 1919) de facto revocatum fuisse authentice declaravit ? Ut plura paucis perstringamus, videtur nobis hic ante omnia valere praescriptum can. 4,

ac proinde integra manere privilegia apostolica contraria; et can. 5, ideoque suppressas esse contrarias consuetudines ordinarias et ad summum tolerari posse centenarias ac immemorabiles; et consequenter Pont. Commissionem legem can. 396, § 2 contentam authentica declaratione extendisse.

2. *Divinum officium comprehendit* etc. — Quodlibet Capitulum obligatione tenetur divinum officium psallendi itemque singuli capitulares, qui choro intersunt: alioquin obligationi suae minime satisfaciunt (S. Congr. Conc., 20 apr. 1602). Psallere idem est ac alta voce recitare. Quare ad divinum officium quotidie canendum Episcopus Capitulum cogere non potest (S. Rit Congr., 24 nov. 1602), sed tantummodo in sollemnioribus festis. Contra, Missa conventualis semper, salvo Apostolico indulto, canenda est ab hebdomadario, exceptis festis in quibus vel Episcopus pontificaliter celebrat vel alius Episcopi loco ad normam can. 397, n. 1: tum enim licet hebdomadario sine cantu celebrare. Celebrare autem debet, ne eo die Missa conventualis deficiat, cum conventualis non sit Missa, quam eo die ab Episcopo (vel, quod idem est, ab alio Episcopi vice ac nomine) celebratur: non enim Episcopus per se est de gremio Capitudi et Missa conventualis a Capitulo celebrari debet (S. Congr. Conc., 12 mart. 1921). Ex adverso, conventualis est Missa a dignitate, non quidem Episcopi vice, sed ex consuetudine in festo aliquo celebrata (ibid.). Habes igitur in secunda canonis paragrapho elementa quae divinum officium substantialiter constituunt (1): quorum unum si desit, officii divini obligationi Capitulum aut capitularis nequaquam satisfacit. Quid vero si capitulares sint pauci? S. Congr. Conc., 31 mart. 1696 censuit, tum quoque cum *duo*

---

(1) Cl. WERNZ (*Jus decret.*, II, n. 194) singularum horarum divini officii ita origines exponit: *Cultus novi testamenti quemadmodum quoad sacrificium eucharisticum in vetere testamento suos habuit typos, ita etiam quoad officium divinum legis gratiae ante Christi adventum praeformationem quandam consecutus est. Nam in vetere quoque testamento certae horae diei ex ritu publico orationi fuerunt destinatae. Quare inde a temporibus Apostolorum hora tertia, sexta, nona diei, precibus fundendis fuerunt statutae. Quibus orationibus accesserunt praeces matutinae ac vespertinae etiam communes, et praelucente exemplo Christi Domini, qui in oratione pernoctabat* (*cfr.* LUC., VI, 12) *saltem ex saeculo quarto in coenobiis oratio quoque nocturna fuit introducta. Cui orationi nocturnae successit oratio matutina, idest « laudes » ; et, cum in monasterio Bethlemitico tempus inter orationem matutinam et preces horae tertiae videretur esse nimis longum, inserta est illa hora, quam nunc vocamus « primam », ad instar secundae cuiusdam orationis matutinae. Circa idem fere tempus, i. e. versus finem saeculi quarti, « completorium », ut locum teneret precum vespertinarum, a vesperis fuit separatum. Quod completorium prima vice commemoratur in regula S. Benedicti. Qua ratione septem nostrae « horae » officii divini sive breviarii ortae sunt.* Obligatio autem divinum hoc officium recitandi, per longam saeculorum seriem clericis in sacris atque beneficiariis iure particulari imposita, tandem lege universali sancita est.

vel tres sunt, teneri eos ad officium in choro *canendum seu recitandum :* secus posse ab Episcopo distributionibus privari. Tamen, sive hac de causa sive ob exiguitatem redituum, S. Congr. Concilii onera divini officii satis facile per dispensationem minuit.

Can. 414.

Omnes et singuli qui chorale beneficium obtinent, tenentur in ipso choro divina officia persolvere singulis diebus, nisi servitium per turnum a Sede Apostolica aut fundationis lege fuerit indultum.

Beneficium chorale obtinere dicuntur omnes beneficiarii, quocumque nomine veniant et cuicumque ecclesiae sint addicti, sive ad Capituli corpus pertineant sive Capitulo auxilium tantummodo praestent, qui ratione beneficii divinum officium in choro persolvere tenentur.

Can. 415.

§ 1. *Si ecclesia cathedralis aut collegialis simul sit paroecialis, relationes iuridicae inter Capitulum et parochum reguntur normis quae sequuntur, nisi aliud ferat aut Sedis Apostolicae indultum aut particularis conventio in erectione paroeciae inita et a loci Ordinario legitime probata.*

§ 2. *Ad parochum spectat :*

1. *Applicare Missam pro populo et, debito tempore, praedicare ac christianam doctrinam fideles edocere ;*

2. *Custodire libros paroeciales et ex iis attestationes extrahere ;*

3. *Functiones paroeciales peragere de quibus in can. 462. Justa funebria, in ecclesia ad normam iuris peragenda, non exclusa Missa exsequiali, persolvere ad Capitulum pertinet tantum in casu quo de funere agatur alicuius dignitatis, vel canonici, etiam honorarii tantum, vel beneficiarii ;*

4. *Alias functiones non stricte paroeciales peragere quae in paroeciis fieri solent, modo non impediatur chorale servitium, nec Capitulum easdem functiones peragat ;*

5. *Eleemosynas in bonum paroecianorum colligere, easdem directe vel indirecte oblatas recipere, administrare et secundum offerentium voluntatem distribuere.*

§ 3. *Ad Capitulum spectat :*

1. *Custodire sanctissimum Eccharistiae Sacramentum ; sed altera sacri ciborii clavis apud parochum servari debet ;*

2. *Invigilare ut in functionibus a parocho in capitulari ecclesia peragendis leges liturgicae observentur ;*

3. *Ecclesiae curam habere eiusque bona administrare cum piis legatis.*

§ 4. *Nec parochus capitulares nec Capitulum paroeciales functiones et munera impediat ; exorto autem conflictu, quaestionem dirimat loci Ordinarius, qui in primis curare debet ut catechetica instructio et Evangelii explicatio hora fidelibus commodiore semper habeatur.*

§ 5. *Non solum Capitulum impedire nequit parochum in exercenda paroeciati cura, sed insuper sciant capitulares se ex caritate teneri, maxime si designati coadiutores desint, eidem adiutricem operam navare, secundum modum ab Ordinario loci determinandum.*

1. *Si ecclesia cathedralis aut collegialis* etc. — Quibus modis ecclesia capitularis simul paroecialis esse possit, supra vidimus (cfr. comm. ad can. 402). Canon relationes iuridicas inter Capitulum ac parochum (quo nomine hic venit etiam vicarius, qui ad normam can. 471 § 1 vice ac nomine Capituli actualem animarum curam gerit), multis ac fere inextricabilibus controversiis ante Codicem implicatas, tandem aliquando taxativis dispositionibus definit. Et in primis Legislator, praeter Ap. Sedis indulta quae iam ex can. 4, nisi sint revocata, ubique salva esse debere constat quibusque omnia permitti possunt iuri divino non repugnantia (veluti ex. c. curae actualis animarum exercitium ipsi Capitulo), expresse reservat legitimas conventiones ; non tamen omnes, sed illas tantum, quae in paroeciae erectione (nam quae in erectione Capituli in ecclesia paroeciali, indulto apostolico, de quo supra, aequiparantur — cfr. can. 392) initae sunt : quae igitur fortasse postea sunt initae nec ideo in tabulis fundationis receptae, nihil possunt contra huius canonis dispositiones.

2. *Ad parochum spectat :* etc. — Haec et subsequentes paragraphi per se satis perspicuae videntur : quare quasdam tantum adnotatiunculas adiiciemus. Libri paroeciales in can. 470 describuntur. Functiones, de quibus in can. 462, ita dicuntur ad parochum spectare, ut ratio quoque habeatur exceptionum in eo canone statutarum, quarum vi plures ad Capitulum nel spectant vel spectare possunt. Functiones vero non stricte paroeciales non debent impedire chorale servitium; contra, servitium eiusmodi catecheticam instructionem et Evangelii explicationem impedire non debent : imo capitulares tenentur, tamen ex sola caritate, in paroeciali cura exercenda, si opus sit, auxilium praestare ; Ordinarius vero modum determinare.

Can. 416.

In statutis capitularibus insta designetur norma, ad quam canonici et beneficiarii in servitio altaris fungantur per turnum tum officio celebrantis tum etiam ministerio diaconi ac subdiaconi, exclusis tamen ab hoc ministerio dignitatibus, canonico theologo, poenitentiario et, si praebendae distinctae habeantur, canonicis ordinis presbyteralis.

Vi huius canonis tenentur Capitula universa introducere in statutis, de quibus in can 410 § 1, iustam (nempe onera aeque distribuentem) normam circa servitium altaris. In hac norma statuenda Capitula plena libertate gaudent, dummodo a ministerio diaconi et subdiaconi excludantur dignitates, canonicus theologus et poenitentiarius (non tamen in Missis pontificalibus Episcopi — S. Congr. Conc., 14 febr. 1920 et 10 mart. 1923) nec non, si ordines in Capitulo habeantur, canonici ordinis presbyteralis Qui omnes, vi iuris communis, excluduntur ob praeminentiam quam obtinent sive ratione dignitatis, sive officii, sive ordinis ; in specie vero canonicus theologus ac poenitentiarius hac fortasse etiam de causa, ut liberius officio suo incumbere possint (cfr. can. 400 et 401 § 2). Coadiutores denique coadiuti iuribus fruuntur.

Can. 417.

§ 1. *Missa conventudis applicanda est pro benefactoribus in genere.*

§ 2. *Capitularis infirmitate detentus non tenetur eleemosynam praebere sacerdoti capitulari, qui ipsius vices supplet in Missae conventualis celebratione et applicatione, nisi statuta capitularia vel particularis consuetudo aliud ferant.*

§ 3. *Servari potest consuetudo praebendi stipem celebranti vel ex cumulo distributionum vel ex reditibus omnium praebendarum per contributum.*

1. *Missa conventualis applicanda est* etc. — Applicanda est Missa conventualis pro benefactoribus in genere, idest non solum Capituli sed Ecclesiae quoque universae, et quidem omnium temporum. Ad rem Benedictus Pp. XIV (ep. encycl. *Cum semper oblatas*, 19 aug. 1744, § 14) : *Profecto non solum prioribus Ecclesiae saeculis, verum etiam temporibus haud longe a nostra aetate remoti,... servabatur olim in singulis ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate unaquaeque auctv fuerat, eorumque nomina sacris diptycis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorum recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missae sacrificium offerretur : quam ob causam etiam praedictus catalogus in plerisque ecclesiis ob oculos presbyteri celebrantis apponi consuevit, licet iidem pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent.... Sacrorum huiusmodi diptychorum usus sensim defecit, ob idque in oblivione iacent alicubi complurium benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi rpo iis et sacrificium Missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi Missam conventualem pro benefactoribus in genere, originem atque rationem desumit.*

2. *Capitularis infirmitate detentus*, etc. — Non est afflicto afflictio superaddenda: haec ratio praescripti huius paragraphi, in qua tamen reservatur tum contraria dispositio statutorum, tum particularis consuetudo : utrumque enim praesupponit consensum saltem tacitum eorum quorum interest.

Can. 418.

§ 1. *Reprobata contraria consuetudine, canonici ac beneficiarii quotidiano choro adstricti, possunt singuli abesse tres tantum menses in anno, sive continuos sive intermissos, dummodo propriae ecclesiae statuta aut legitima consuetudo servitium diuturnius non requirant.*

§ 2. *Sine causa legitima et speciali Episcopi licentia nec feriari licet Quadragesimae et Adventus tempore, aut in praecipuis anni sollemnitatibus de quibus in can.* 338, § 3 ; *nec permittitur uno eodemque tempore capitulares ultra tertiam partem abesse.*

§ 3. *Tempore vacationum omne genus distributiones amittuntur, non obstante remissione ab aliis capitularibus facta ; sed percipiuntur praebendae proventus aut duae tertiae distributionum partes, si omnes praebendae proventus in distributionibus consistant.*

1. Decretum Conc. Tridentini (sess. XXIV, cap. 12) de vacationibus capitularium aperte demonstrat, praxim huiusmodi fuisse ante illud Concilium, et quidem prolixius quam oporteat, usitatam. Alias namque intelligi non potest qua de causa Patribus Tridentinis opportunum visum fuerit decernere, ut *obtinentibus in... cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones, non liceat... ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse* (ibid.). Jam vero huiusmodi decretum prohibens visum est nostrae iurisprudentiae indirecte contineconc essionem vacationum trium mensium, *salvis*, ut idem decretum ait, *earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt* (ibid.). Codex legem Conc. Tridentini substantialiter recepit.

2. *Reprobata contraria consuetudine* etc. — Primum igitur consuetudines huic canoni contrariae reprobantur. Unde, ad normam can. 5, facto ipso promulgationis Codicis, absque ulla exceptione suppressae sunt nec amplius possunt praescribi aut ab Episcopis tolerari. Ex adverso contraria privilegia non sunt revocata, ideoque iura ex iisdem quaesita integra manere pergent, uti nuper etiam censuit S. Congr. Concilii (*Abulen. et aliarum*, 13 maii 1922 et 15 mart. 1924). Simul vero reservantur statuta ac consuetudines, quae diuturnius servitium requirant. Salvis itaque hisce privilegiis, statutis, consuetudinibus, possunt singuli capitulares (non autem, uti postea videbimus, Capitulum universum) ac etiam inferiores beneficiarii abesse quotannis a sua residentia per tres menses, sive conti-

nuos sive intermissos (idest ex partialibus vacationibus conflatos), dummodo quotidie ad chorum teneantur. Quare ad vacationes mensium trium ius non habent Capitula, quae, iuxta can. 414, servitium chorale per *turnum* praestant : cum namque per can. 419 § 1 recepta sit regula, qua *qui ad chorum non adstringuntur, obligatione residendi in loco beneficii non tenentur per dies quibus a choro absunt*, vacationes *turni* (quae, quamvis intermissae, quandoque ad tres fere anni partes extenduntur, nempe in casu *quartariae*) satis superque trimestrium vacationum locum tenent.

3. *Sine causa legitima*, etc. — Ut possit capitularis per tempus Quadragesimae vel Adventus vacationes protrahere vel diem Nativitatis, Paschatis, Pentecostes aut Corporis Christi (cfr. can. 338 § 3) in vacationibus includere, adesse debet causa legitima, nempe quae absentiam exigat saltem morali necessitate et specialis Episcopi licentia quae, legitima causa non extante, concedi nequit. Nomine vero capitularium, inferiores quoque beneficiarii in paragraphi praescripto comprehenduntur.

4. *Tempore vacationum* etc. — Tempore vacationum, quod legitimae absentiae tempus censetur, omne genus distributiones amittuntur, idest tum illae quae absenti capitulari competerent si chorali servitio interesset, tum quae eidem accrescerent ex aliorum absentia (*fallentiae*), tum distributiones quae *inter praesentes* vocantur, tum denique distributiones quotidianae. Absentiae vero quae, salvo peculiari privilegio apostolico et praescripto can. 420-422, trium mensium (nempe dierum 90 — cfr. can. 34 § 2) spatium excedunt, illegitimae sunt. Quod tempus illegitimae absentiae, non quidem per *punctaturas* supputandum est (nempe quasi illi qui, ex duodecim, novem punctaturarum partes retulerint, debito novem mensium servitio satisfecisse censeantur), sed *per dies* quibus debitum, idest completum (cfr. can. 413, § 2), chori servitium capitularis praestiterit : scilicet vel unius *horae* defectus id efficit, ut capitularis, cum *debitum* servitium non praestiterit, *eo die*, ad effectum conficiendi novem mensium spatium de quo supra, tanquam absens habeatur (S. Congr. Conc., 20 iul. 1924 et 15 mart. 1924). Ex adverso punctaturae singulas divini officii partes ita respiciunt, ut capitularis qui diem perdit ob absentiam partialem ab officio divino, ius habeat ad punctaturam (et consequenter ad *fallentias* aliorum) pro parte cui interfuit (ibid.). Sicuti autem effectus absentiae, sive legitimae sive illegitimae, a singulis divini officii partibus, in amissione pro rata absentiae distributionum ac fallentiarum positus est, ita poena eorum qui, praeter tres menses vacabiles, illegitime absunt, consistit in amissione, eo ipso atque item pro rata absentiae, fructuum praebendae : quos fructus tradere debent Ordinario, qui ecclesiae vel alicui pio loco vel pauperibus distribuat (can. 2381) ; idque salvis gravioribus poenis ad normam can. 2168-2175, si absentia illegitima ultra certos fines prorogata fuerit.

Can. 419.

§ 1. *In ecclesiis in quibus non omnes simul choro intersunt, qui ad eum adstringuntur nequeunt per alium huic obligationi satisfacere, nisi in casibus particularibus, iusta ac rationabili de causa, et modo substitutus eodem tempore servitio chori non sit adstrictus, et sit in eadem ecclesia canonicus, si agatur de supplenda vice canonici, beneficiarius, si de beneficiarii ; qui vero ad chorum non adstringuntur, obligatione residendi in loco beneficii non tenentur per dies quibus a choro absunt.*

§ 2 *Si quis eodem die urgeatur onere utriusque Missae et pro populo et conventualis, hanc ipse celebret applicetque per se, illam per alium vel per se die sequenti.*

1. *In ecclesiis in quibus* etc. — Canon est de substitutionibus, contra regulam generalem, per quam capitulares obligatione tenentur munus suum personaliter implendi. Jam vero in Capitulis, quae turni privilegio carent, nulla substitutio in choro permittitur aut, uti ex iis quae infra dicemus patebit, permitti potest, nisi forte ratione trium mensium vacabilium, per quod temporis spatium quilibet capitularis (cum ad chorum non teneatur) videtur collegam substituere posse. Ut autem in ceteris Capitulis, quae gaudent turni privilegio, substitutio legitima sit, oportet : — 1) locum habeat in casibus particularibus, minime vero habitualiter; — 2) ex iusta fiat ac rationabili causa : et puto gravem causam non requiri, si raro fiat, cum non de absentia agatur, sed de mera substitutione ; — 3) substitutor non sit eodem tempore adstrictus chori servitio : idque evidens, quia, si adstrictus, cum suo oneri satisfacere debeat, pro alio simul satisfacere non potest ; – 4) sit in eadem ecclesia capitularis vel beneficiarius (siquidem nonnisi Capitulum et qui Capitulo addicuntur inferiores beneficiarii, eiusdem Capituli oneribus possunt satisfacere), ita tamen, ut nequeat inferior beneficiarius capitularem substituere et vicissim.

2. *Qui vero ad chorum non adstringuntur*, etc. — Non adstringuntur ad chorum: 1) capitulares, qui ad vacationes ius habent, per tempus earundem vacationum; — 2) capitulares turni privilegio fruentes, per tempus quo *non sunt de turno* ; — 3) capitulares emeriti, ad normam can. 422 (Cfr. etiam can. 420 § 1 n. 1, 2, 5, 7, 10-13 et can. 421 § 1). Sanxit igitur Legislator principium, non teneri capitularem aut inferiorem beneficiarium ad residendum in loco beneficii iis diebus, quibus ad chorum non adstringitur; scilicet residentiam capitularium eius esse naturae, ut tota eius ratio in servitii choralis praestatione consistat: hac sublata obligatione, materialis quoque residentiae ratio evanescit. Idque ex iuris communis praescripto: unde tum capitularis, ut locum beneficii relinquere possit, nullo consensu indiget; dum-

modo tamen finibus dioecesis non excedat : quod, uti S. Congr. Concilii pluries respondit, legitime facere non potest absque Episcopi licentia quae sine rationabili causa negari nequit (cfr. Benedicti Pp. XIV, *Instit.*, 107 § 6).

3 *Si quis eodem die urgeatur* etc. — Casus apud Benedictum Pp. XIV (ep. encycl. *Cum semper oblatas*, 19 aug. 1744, § 17) ita perspicue proponitur : *Alii a Missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent ex eo, quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii canonicatus, aut alterius beneficii ecclesiastici quod insimul cum canonicali praebenda obtinent; vel quia, praeter munus canonici seu beneficiati aut mansionarii in ecclesia cathedrali seu collegiata, quum etiam in eadem vel in alia ecclesia parochialem curam exerceant, dum Missam conventualem canunt diebus festis de praecepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare, ac proinde nequeunt eandem pro ecclesiae benefactoribus specialiter offerre.* Hoc igitur in casu, iuxta praecisam normam huius paragraphi, tenetur capitularis ad Missam conventualem per se celebrandam ac pro benefactoribus applicandam, aliam vero vel per alium eodem die vel per se die subsequenti.

Can. 420.

§ 1. *Ita excusantur a choro ut percipiant fructus praebendae ac distributiones quotidianas :*

1. *Capitulares « iubilati » ad normam can.* 422, § 2 ;

2. *Canonicus theologus singulis diebus quibus suo munere fungitur ;*

3. *Canonicus poenitentiarius dum tempore chori vacat confessionibus audiendis ;*

4. *Vicarius paroecialis aliusve e Capitulo sive parochus sive coadiutor ab Episcopo deputatus, dum paroecialibus vacat officiis ;*

5. *Qui infirmitate aliove physico impedimento choro prohibentur assistere ;*

6. *Qui pontificia legatione alibi funguntur aut personae Romani Pontificis actu inserviunt ;*

7. *Qui piis exercitiis vacant ad normam can.* 126 ; *quo tamen indulto semel tantum in anno chori servitio liberantur ;*

8. *Accedentes una cum Episcopo aut eiusdem vice ad visitanda Limina Apostolorum ;*

9. *Qui ab Episcopo vel Capitulo mittuntur ad Concilium Oecumenicum, plenarium, provinciale aut ad Synodum dioecesanam ;*

10. *Qui de Capituli consensu, non contradicente Episcopo, absunt a choro ob Capituli seu propriae ecclesiae utilitatem ;*

11. *Qui Episcopo sacra peragenti assistunt ad normam can.* 412 § 1 ;

12. *Qui Episcopum comitantur in visitatione dioecesis vel visitationem ipsam eius nomine et mandato peragunt ;*

13. *Qui operam navant conficiendis processibus in causis de quibus in can.* 1999 *seqq., vel uti testes in his causis vocati sunt, pro diebus et horis quibus hoc officium praestant ;*

14. *Parochi consultores, examinatores et iudices synodales, dum proprio munere funguntur.*

§ 2. *Distributiones vero quae « inter praesentes » dicuntur, ii tantum percipiunt, qui in* § 1, *nn.* 1, 7, 11, 13 *enumerantur, nisi obstet fundatorum expressa voluntas.*

1. Extant causae legitimae, quae, sicuti ceteros beneficiatos, capitulares quoque excusant a sui officii obligationibus. Circa quas causas, *iure praecedenti*, ait Wernz-Vidal (*Jus canonicum*, II, n. 690), *illae causae non reperiebantur in iure taxative expressae. Concilium Tridentinum agnoverat quidem pro rectoribus ecclesiarum i. e. pro animarum curam habentibus (Episcopis et parochis) quatuor causarum genera: «christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens ecclesiae vel reipublicae utilitas », quae beneficiariis servitio chori addictis ac animarum cura carentibus applicari non poterant. Quae cap. un. de cleric. non resid.* III, 3 *in* VI *statuuntur, ubi allegatur tanquam causa excusans « infirmitas seu iusta et rationabilis corporis necessitas aut evidens ecclesiae utilitas », directe pertinet ad distributiones. Tres causae particulares inveniuntur enumeratae in Lib.* III, X *tit.* 3, *de cleric. non resid. : servitium Episcopi* (*cap.* 7, 15) *; servitium Sedis Apostolicae* (*cap.* 14) *; causa studiorum* (*cap.* 4). *Quibus addenda est causa docendi in theologica facultate ex cap.* 5, X *de magist.* V, 5. *Nihilominus communis doctrina, quaerens causam gravem et sufficientem ad excusandos canonicos a personali residentia, provocabat tum ad memoratum cap. un. de cler. non resident. in* VI, *tum etiam ad caput Tridentini, quod respiciebat curam animarum habentes. Cum vero causae his locis enumeratae essent valde generales, ut plurimum doctores postulabant interventum Episcopi, a quo, consideratis omnibus adiunctis, diiudicanda era gravitas vel levitas causae. Pariter communis doctrina distinguebat causas excusantes a choro cum iure ad percipiendos solos praebendae fructus, a causis excusantibus cum iure etiam ad percipiendas distributiones. Qua in re tamen ultimum fundamentum doctrinae continebatur iurisprudentia S. C. C., quae a tempore Conc. Tridentini ad ultima tempora omnes fere particulares casus in suis decisionibus comprehenderat.* Quas omnes ambiguitates uti e medio tolleret, Legislator taxative casus recensuit, in quibus adest legitima excusatio. Unde tria defluunt consectaria : 1) quod nullus casus datur legitimae excusationis a servitio chorali, qui explicite aut implicite hisce canonibus non contineatur ; 2) quod, cum in casibus hic taxative recensitis

legitimitas causae per ius commune recognoscatur, tali casu de facto existente, nullius consensus requirendus est ut capitularis legitime absit ; 3) quod ius particulare hisce praescriptis valide contraponi non potest.

2. *Ita excusantur a choro* etc. — Primum igitur hoc canone recensentur casus, in quibus capitulares legitime absentes ita per fictionem iuris praesentes censentur, ut non solum fructus praebendae sed distributiones quoque, imo quandoque distributiones *inter praesentes*, percipiant. Et quia, si consuetudo vel statuta capitularia vel indulta pontificia aliud non ferant, qui percipit distributiones percipit etiam quotas ab aliis amissas seu *fallentias*, idque quamvis per solam fictionem iuris choro interesse censeatur (S. Congr. Conc, 15 ian. 1921) : idcirco iis, de quibus in hoc canone, fallentiae quoque competunt.

3. *Canonicus theologus singulis* etc. *Canonicus poenitentiarius* etc. — Dum canonici poenitentiarii iusta excusatio supputatur per momenta, ex adverso excusatio canonici theologi supputatur per dies, nempe integros. Quocirca non est praetermittendum, non posse canonicum theologum ultra sex menses a choro abesse, quamvis legitime et quacumque de causa id fiat, quin, ad normam can. 400 § 2, teneatur ad alium propriis expensis sibi substituendum ; itemque posse Episcopum, ad normam eiusdem canonis, loco lectionum in ecclesia, sacras disciplinas in Seminario docendas committere : quo in casu canonicus, Episcopi praecepto obediens munere suo fungi dicendus est (S. Congr. Conc., 9 iul. 1921) ac proinde non tenetur ad alium, uti supra, sibi substituendum (ibid.), ne tum quidem cum docet in Seminario regionali, videlicet pro sua quoque dioecesi erecto (ibid.), vel cum pro iisdem lectionibus peculiari gaudet stipendio (ibid.). Excipitur tamen tempus feriarum scholasticarum. (S. Congr. Concilii, 13 ian. 1923) ac praeterea, quamvis eximatur ab onere hebdomadarii et Missae conventualis, tenetur nihilominus congruum Missae stipendium Capitulo tradere (ibid.).

4. *Qui infirmitate* etc. *Qui pontificia legatione* etc. — Quoad legationem pontificiam, cum in causa sit R. Pontificis mandatum ideoque evidentissima Ecclesiae utilitas, videtur comma ita late esse interpretandum, ut inter pontificios Legatos non solum recensendi sint ex. c. Ablegati (nam officium Legatorum, de quibus in can. 267-270, cum officio capitulari est incompatibile), sed etiam Visitatores ceterique omnes, qui ex temporario mandato Ap. Sedis quacumque de causa alibi mittuntur. Inter eos vero, qui personae R. Pontificis actu inserviunt, comprehenduntur quoque, nempe dum actu inserviunt, cappellani et clerici secreti Aulae pontificalis (Pont. Commissio, 20 maii 1923). Et veniamus ad eos qui infirmitate detinentur. *Ecclesia*, ait Benedictus Pp. XIV (*Instit.*, CVII, § 8), *tanquam amantissima parens, aegrotantibus plurimum indulget ; sed ..... requirit morbum verum, haud fictum ; neque levem, sed gravem. Neque*

id satis habetur, si canonici aegrotantes a choro abesse consueverint, dum incolumes erant : tum enim absentia non morbo tribuitur, sed voluntati, qua putantur inhaerere eidem proposito ecclesiae minime inserviendi. Hoc igitur in casu merito Capitulum legitimam infirmitatis probationem exigeret. Ex adverso contingere potest, eius generis esse infirmitatem, quae capitulari domo aliquantisper exire permittat salutis recuperandae causa, non autem choro interesse : quocirca arbitrium boni viri attendi debet (ibid.). Coecus aegrotantibus accensendus est, et quidem a die quo lumine caruit (S. Congr., Conc. 29 ian. 1661). Physico autem impedimento legitime laborat, qui ideo a choro abest, quod e.c. in eo loco pestis vehementer grassetur; vel quod graves iniurias pertimescat, quas immerito pateretur ; vel tandem quod per iniustam sententiam, quae in rem iudicatam transierit, carcere detineatur (Bened. Pp. XIV, ibid.), aut quod sit, ut puto, in exilium iniuste pulsus. Hisce in casibus capitularis, quo usque Ap. Sedes, ob infirmitatem vel gravem aetatem (cfr. Card. De Luca, *De beneficiis*, disc. 40 n. 17), coadiutorem non concesserit, ita excusatur a choro, ut, nedum fructus praebendae, sed distributiones quotidianas quoque percipiat.

5. *Qui piis exercitiis vacant* etc. — Pia exercitia, de quibus canon, ut ius a choro abessendi capitularibus tribuant, peragi debent ad normam can. 126, nempe : 1) per tempus a proprio Ordinario determinandum, habita utique ratione consuetudinum dioecesis atque circumstantiarum, in quibus versatur capitularis ; 2) in pia aliqua (veluti in Seminario) religiosave domo ab eodem Ordinario designata. Praeterea, ex praescripto canonis quem modo explicamus, indultum huiusmodi semel tantum in anno capitularibus suffragatur. Si qua igitur harum conditionum defuerit, censetur capitularis illegitime abesse. Quae sane omnia sapienter statuta sunt, ut et capitularium pietati et chori necessitatibus consulatur.

6. *Accedentes una cum Episcopo* etc. — Ex praescripto can. 412 § 2, est in potestate Episcopi duos e Capitulo sive cathedrali sive collegiali assumere ac retinere, ut sibi in ecclesiastico ministerio ac dioecesis servitio assistant : ac proinde ad Limina quoque Apostolorum secum ducere. Ex canone vero 342 potest Episcopus, ex iustis causis ab Ap. Sede probandis, Apostolorum Limina per idoneum sacerdotem in dioecesi residentem visitare. Ex qua Episcopi potestate huius commatis praescriptum recte consequitur : iniquum namque esset, capitularem qui, ut Episcopi iussioni pareat, a choro abest, inde damnum reportare.

7. *Qui ab Episcopo vel Capitulo mittuntur* etc. — Cavet can. 224 § 1 ut, si quis ex vocatis ad Concilium oecumenicum iusto impedimento detentus interesse non possit, mittat procuratorem ; eodemque modo can. 287 § 1 de Concilio plenario et provinciali. Praeterea, ex can. 286 § 3, Capitula cathedralia atque collegia consultorum dioecesanorum ad Concilium plenarium ac provinciale invitandi sunt et, invitati, duos ex capitularibus aut

consultoribus mittere debent. Tandem, ex can. 358 § 1, n. 5, Synodo dioecesanae interesse debet deputatus uniuscuiusque collegialis ecclesiae, a Capitulo eiusdem e gremio eligendus. Si quis igitur capitularis ad Synodos supra recensitas tanquam procurator vel deputatus mittatur, per tempus ad munus implendum necessarium, fictione iuris praesens in choro censetur eadem de causa ac antea exposuimus.

8. *Qui de Capituli consensu* etc. — Aequum est, ut qui non ob suam sed Capituli vel ecclesiae utilitatem abest, damnum ex praestito labore non patiatur. *Episcopo autem*, ut recte animadvertit Wernz-Vidal (*Jus canonicum*, II, n. 692), *debet dari occasio exercendi ius contradicendi ex iusta causa, ideoque decisio Capituli, alicui canonico committentis negotium Capituli vel ecclesiae capitularis, ipsi opportuno tempore est communicanda, nisi iam in statutis sit determinatum tempus, quo determinatum negotium Capituli agens potest a chorali servitio abesse :* tum enim, quoniam statuta capitularia sunt ab Episcopo approbanda, ipse absentiam quoque semel pro semper probasse censetur.

9. *Qui Episcopo sacra peragenti* etc. — *Qui Episcopum comitantur* etc. — Ex can. 412 § 1, tenentur canonici sive ecclesiae cathedralis sive collegialis Episcopo sollemniter Missam celebranti aut alia pontificalia exercenti, etiam in aliis ecclesiis civitatis aut suburbii, ab eodem invitati, assistere et inservire, dummodo, iudicio Episcopi, sufficiens canonicorum et ministrorum in ecclesia numerus maneat. Dum igitur Episcopi iussu suum eidem auxilium ita praestant, ob rationem antea allatam censentur capitulares choro interesse. Eodemque iure censentur, qui Episcopum comitantur in visitatione dioecesis vel Episcopi iussu ac nomine visitationem peragunt.

10. *Qui operam navant* etc. — Die 23 dec. 1817, S. Congr. Rituum rogata respondit : *Dignitatibus omnibus et canonicis ubique locorum, qui construendis in posterum apostolica vel ordinaria auctoritate tabulis in Servorum Dei ac Beatorum causis operam dabunt, licet e choro absentibus ea de causa, nedum quotidianas distributiones deberi iuxta taxam s. m. Benedicti XIV, verum etiam alias omnes, quocumque iure, titulo et nomine ac quibusvis sub clausulis personale servitium exquirentes ; indultum autem atque exemptionem huiusmodi iis dumtaxat diebus locum habere voluit, in quibus conficiendis et adornandis inquisitionibus incumbent.* Inde videtur canon conflatus. Sive igitur iudicis, sive officialis, sive testis, sive quovis alio munere in causis beatificationis et canonizationis capitularis fungatur, censetur per fictionem iuris choro interesse (cfr. S. Congr. Rit. decr. 25 maii 1909). Quod vero id fiat tantummodo pro diebus et horis quibus hoc praestat officium, uti expresse hoc in loco Legislator ait, videtur, ratione legis considerata, ita esse intelligendum, ut hisce *diebus et horis* totum tempus ad munus explendum necessarium, tum ratione itineris tum quacumque alia de causa, comprehendatur.

11. *Parochi consultores* etc. — Constanter tenuit S. Congr. Concilii, veluti in *Nullius-Putignani*, 6 maii 1741, in *Adiacen.*, 11 iul. 1651 et alibi passim, tum capitulares e choro absentes distributiones quoque lucrari, cum pro munere ob quod exercendum choro interesse non possunt, nullum lucrum percipiunt. Et haec videtur esse causa, quare consultores, examinatores ac iudices synodales, dum proprio munere funguntur, hisce capitularibus accensentur.

12. *Distributiones vero quae « inter praesentes »*, etc. — *Exploratissimum est*, ait S. Congr. Concilii in *Maioricen.*, 15 ian. 1921, *ex stylo quoque huius S. Congregationis, hac locutione* (nempe *distributiones inter praesentes* sacris quibusdam functionibus) *intelligi tantummodo functiones quae non ex ordine chori, sed ex extraordinaria aliqua fundatione ita sunt celebrandae, ut canonici iis interesse non obligentur quidem, sed tantum alliciantur, proposita quadam extraordinaria distributione solum « inter praesentes » partienda.* Scilicet, ut S. Congregatio prosequitur, *scitum est distributiones chorales dupliciter dispesci, in distributiones nempe ordinarias, quae vulgo quotidianae vocantur, suntque fructus laboris, qui canonicis in choro praesentibus tribuuntur ; nec non in distributiones extraordinarias seu « inter praesentes » tantum, quae interdum fiunt canonicis ob suam adsistentiam quibusdam extraordinariis officiis, ad quae, vi suae praebendae stricte non tenentur. Huiusmodi aliae dicuntur fixae, si quotannis ex anniversariis aliisque constanter redeuntibus officiaturis proveniant, aliae vero eventuales seu incertae, si v. gr. ex funere, associatione, exequiis forte supervenerint.* Habes itaque genuinum conceptum distributionum *inter praesentes*. Has, ob praescriptum canonis quem explicamus, ex supra recensitis alii quidem (videlicet ii tantummodo qui nn. 1, 7, 11 et 13 enumerantur) percipiunt (nisi, ut patet, obstet fundatorum expressa voluntas, quae potissimum elementum est in piis fundationibus), alii vero non percipiunt. Scilicet, per fictionem iuris, alii semper adesse censentur, alii autem non semper, sed tantummodo functionibus ordinariis. Quare ? Ratio desumenda esse videtur ex peculiari natura singulorum quatuor casuum exceptorum, quae ea est, ut erga absentes maximum iuris favorem requirat.

CAN. 421.

§ 1. *Excusantur a choro, sed percipiunt praebendae fructus dumtaxat, non autem distributiones :*

1. *Qui de licentia Ordinarii loci publice docent in scholis ab Ecclesia recognitis sacram theologiam aut ius canonicum ;*

2. *Dantes operam studio sacrae theologiae aut iuris canonici in publicis scholis ab Ecclesia probatis, de Ordinarii licentia ;*

3. *Vicarius Capitularis, Vicarius Generalis, officialis ac cancellarius, si de gremio sint, dum suis muneribus vacant;*

4. *Canonici qui Episcopo inserviunt ad normam can.* 412, § 2.

§ 2. *Quod si omnes praebendae fructus consistant in distributionibus, vel adeo sint tenues ut tertiam distributionum partem non attingant, tunc memorati omnes duas tantum tertias partes distributionum lucrantur, cumulatas ex fructibus praebendae ac distributionibus.*

1. *Excusantur a choro* etc. — Secus ac in canone praecedenti, qui hic enumerantur, si a choro absint ob causas in canone taxative determinatas, non quidem praesentes censentur (neque semper neque aliquando), sed tantummodo eorum absentia legitima esse declaratur, ita ut sub sanctionibus can. 2381 contra clericos illegitime absentes non cadant, ideoque salvi sint fructus praebendae.

2. *Qui de licentia Ordinarii loci* etc. — Ut capitularis magisterii causa a choro legitime abesse censeatur (utique *pro diebus et horis*) nonnullae conditiones impleantur oportet, videlicet: 1) ut id fiat de Ordinarii licentia, nempe accedere debet Ordinarii iussum, invitatio, consilium aut saltem legitimus consensus; 2) ut magisterium sit publicum, idest publica Ecclesiae auctoritate constitutum; et quidem 3) in scholis ab Ecclesia recognitis, quod semper factum esse intelligitur cum schola, ex pontificia concessione, facultate gaudet gradus academicos conferendi, quamvis, veluti accidit in plerisque Seminariis, id necessarium non sit; 4) ut agatur de magisterio sacrae theologiae aut iuris canonici: ita nempe, sicut Pont. Commissio declaravit, 24 nov. 1920, de theologiae ac iuris canonici *Facultatibus*, ut hisce verbis *etiam comprehendantur disciplinae, quae, ad normam statutorum uniuscuiusque Seminarii, in praelaudatis Facultatibus edocentur, veluti historia ecclesiastica, archeologia sacra, linguae biblicae* etc. Ea vero de causa autecessores huiusmodi excusantur a choro sed distributiones non percipiunt, quia dum Ecclesiae utilitati adlaborant, lucrum tamen ex suo labore communiter capiunt ac praeterea aequum non videretur, ut tanto tempore onera ex. c. Seminarii Capitulum sustineret. Neque suffragatur exemplum canonici theologi (Cfr. comm. ad can. 420, n. 3): nam hic casus plane diversus est.

3. *Dantes operam studio* etc. — Conditiones, quibus favor iuris in theologiae atque iuri canonici studentibus subordinatur, eaedem fere sunt ac in commate praecedenti; estque ideo concessio facta, ut iuniores capitulares ad studia ampliora magis ac magis excitarentur. Videntur autem excludi a distributionibus ob eandem causam, quam ultimo exposuimus.

4. *Vicarius Capitularis* etc. — Exemptio est pro diebus et horis. Peculiare autem capitulares hic memorati, ob delata sibi officia, stipen-

dium accipiunt, ac proinde a distributionibus et ipsi excluduntur, quamvis operam praestent, et quidem magni momenti, in Ecclesiae utilitatem.

5. *Canonici qui Episcopo inserviunt* etc. — Ad normam can. 412 § 2, potest Episcopus duos e Capitulo sive cathedrali sive collegiali assumere ac retinere, ut sibi in ecclesiastico ministerio ac dioecesis servitio assistant. Posset quis quaerere, quanam de causa capitulares, de quibus supra, distributiones non percipiunt, dum capitulares, qui Episcopo assistunt ad normam eiusdem canonis § 1, percipiunt distributiones. Ratio in hoc posita esse videtur, quod hi nullum unquam lucrum ex sua praestatione, quae reverentiae naturam habet, capere possunt ; dum, contra, illi ex praestatione, quae potius habet naturam muneris (cfr. comm. ad can. 412, n. 2), stipendium communiter percipiunt.

CAN. 422.

§ 1. *Praebenda fruentes ab Apostolica tantum Sede impetrare possunt indultum emeriti seu, ut aiunt, « iubilationis » post continuum et laudabile quadraginta annorum in eadem vel distinctis ecclesiis eiusdem civitatis vel saltem dioecesis chori servitium.*

§ 2. *Jubilatus, etiamsi in loco beneficii non resideat, percipit tum fructus praebendae tum distributiones etiam inter praesentes, nisi obstet expressa fundatorum vel oblatorum voluntas, ecclesiae statuta aut consuetudo.*

§ 3. *Jus optandi, si ex lege fundationis competat, non est capitulari iubilato.*

1. *Praebenda fruentes* etc. — *Si quotidianum et non interruptum chori servitium*, ait Benedictus Pp. XIV, *De Syn. dioec.*, l. 13, c. 9, n. 15) *communi hominum iudicio laboriosum et grave censetur, multo sane gravius atque molestius progressu temporis visum est, nullum, quoad vixeris, serviendi finem videre, quantumvis diuturno annorum curriculo cum assiduitatis et diligentiae laude inservieris. Equidem nullus est in iure canonico textus, quo privilegium exemptionis a choro concedatur canonicis qui multorum annorum spatio operam suam... laudabiliter praestiterunt... Cum tamen animadversum fuerit... veteranis militibus honestam missionem et a belli laboribus immunitatem, ipsa civilium legum aequitate concessam fuisse... : hinc consuetudo universalis invaluit, ut canonici et alii qui chori servitio addicti sunt, si per annos quadraginta laudabilem illi operam impenderint, ab eodem in posterum frequentando absolvantur, fructus tamen atque distributiones eodem, quo antea, modo percipiant.* Conditionem iuridicam emeritorum canonicorum ceterorumque *praebenda* (idest beneficio stricto sensu accepto, cum obligatione servitii choralis) *fruentium*, quae antea iurisprudentia tantummodo Curiae romanae et iurisperitorum doctrina continebatur, per

Codicem Legislator accurate definivit atque substantialiter servavit. Est igitur indultum iubilationis privilegium apostolicum : qua apostolicum, a sola Ap. Sede valide obtineri potest, detracta inferioribus personis concedendi vel denegandi potestate ; qua vero privilegium, nempe in favorem dumtaxat capitularis concessum, ad normam can. 69 eo hic uti non cogitur. Quare potest capitularis emeritus, non solum in loco beneficii residere et onera residentiae coniuncta obire, verum etiam capitularium iura exercere, uno tantum semper excepto, videlicet optionis, si ius huiusmodi ex lege fundationis Capitulo competat (cfr. § 3) : esset enim iniquum, capitularem emeritum beneficiis cumulare in detrimentum aliorum.

2. *Post continuum et laudabile* etc. — Indultum iubilationis conceditur in praemium praestiti servitii sub certis conditionibus. Quare, quoniam praemium in favorem privatorum cedere non debet in praeiudicium publicae utilitatis, prima conditio est, ut ad divinum cultum exercendum sufficiens capitularium numerus in ecclesia maneat : qui cultus si, immutatis rerum adiunctis, notabile postea detrimentum caperet, est in potestate Ordinariorum canonicum emeritum ac validum ad officium, perdurante necessitate, revocare (S. Congr. Conc., 30 mart. 1833 et alibi). Et hac de causa, ante concessionem indulti, ut de sufficientia servitii choralis constet, Ap. Sedes et Episcopum et Capitulum audire solet. Altera conditio est, ut chorale servitium continuum et laudabile fuerit per spatium quadraginta annorum. Continuitatem servitii non abrumpunt qui a choro absunt ob causas in n. 7, 11 et 13 can. 420 § 1 enumeratas : hi enim in choro praesentes plenissime censentur. Sed neque abrumpere videntur qui absunt ob causas in ceteris eiusdem canonis numeris recensita : siquidem hi omnes et in Ecclesiae, dioecesis aut Capituli commodum (non in suum) et sine lucro et ex iuris vel Episcopi aut Capituli iussu abesse semper praesumuntur. Contrarium sentiendum videtur de iis, qui a choro absunt ob causas in can. 421 enumeratas, sicut et de iis qui absunt ex indulto apostolico in sui dumtaxat favorem impetrato extra causam infirmae valetudinis, et *a fortiori* de iis qui illegitime absunt. Illud autem servitium laudabile esse intelligitur, quod praestitum fuerit ad normam iuris communis ac statutorum capitularium. Tertia conditio est, ut servitium chorale quadraginta annorum praestitum fuerit saltem intra fines dioecesis, quamvis non desint casus, *quibus Summus Pontifex* (qui supra ius est) *ex speciali et extraordinaria gratia servitium in diversis dioecesibus praestitum coniunxerit et ad effectum indulgendae iubilationis valere concesserit.* (Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. VI, p. 430).

3. *Jubilatus, etiamsi in loco*, etc. — Effectus indulti iubilationis in hoc positum est, ut capitularis emeritus, a momento executionis rescripti apostolici usque ad obitum, praesens in choro per fictionem iuris plenissime censeatur. Hinc, nedum fructus praebendae ac distributiones quotidia-

nas, et proinde quotas ab aliis amissas seu *fallentias* (S. Congr. Conc., 15 ian. 1921 et alibi) percipit, sed distributiones quoque quae *inter praesentes* vocantur, nisi, quoad has postremas distributiones, obstet expressa fundatorum vel oblatorum voluntas (quae nunquam in piis fundationibus aut oblationibus negligi potest, cum sit earundem elementum potissimum), ecclesiae statuta aut consuetudo, quae hic expresse a Legislatore servantur. Exempti igitur sunt capitulares emeriti a quovis onere cum servitio chorali coniuncto, ideoque etiam, ut Pont. Commissio declaravit 16 oct. 1919, *a servitio altaris pro sua vice praestando*, non obstante contraria consuetudine ; at exempti non sunt ab oneribus praebendae peculiariter adnexis praeter servitium chorale : quare, uti placet Wernz-Vidal (*Jus canonicum*, II, n. 696), *canonicus theologus iubilatus e. gr. adhuc tenetur ad lectiones S. Scripturae per seipsum, vel per alium si sit impeditus ; canonici curati iubilatio ad curam animarum non extenditur ; dignitas non censetur immunis ab illis functionibus peragendis quae taxative dignitati inhaerent, sive ex statuto sive ex consuetudine ; qui suae praebendae adnexum habet onus Missarum celebrandarum, pergit illo onere post iubilationem gravari.*

CAPUT VI.

DE CONSULTORIBUS DIOECESANIS.

Can. 423.

In quibus dioecesibus nondum constitui potuit restituive cathedrale canonicorum Capitulum, instituantur ab Episcopo, salvis peculiaribus Apostolicae Sedis praescriptis, consultores dioecesani, hoc est sacerdotes pietate, moribus, doctrina ac prudentia commendati.

1. *In quibus dioecesibus*, etc. — Sicuti R. Pontifici sacrum Cardinalium collegium, ita Episcopi et iis qui Episcopis iure aequiparantur Capitulum cathedrale vetustissima consuetudo in auxilium vocavit tanquam corpus consultivum. Quid vero de iis territoriis ecclesiasticis ubi, propter rerum adiuncta, Capitulum cathedrale constitui aut restitui non potest ? S. Congr. de Prop. Fide, per Instruct. 8 sept. 1869 (n. 27) ad Vicarios Ap. Indiarum orientalium datam, decrevit ut in unoquoque Vicariatu ad reditus administrandos territoriumque regendum Consilium constitueretur *ex nonnullis prudentioribus missionariis a Vicario Ap. designandis, cum quibus ipse Vicarius in negotiis gravioris momenti aget eorumque audiet consilia.* Deinde, 18 oct. 1883 (n. 7) in alia Instruct. data ad Vicarios Ap. Sinarum, clarius eadem S. Congr. ait : *Advertendum est quod, licet in pluribus Sinensis Im-*

perii missionibus Consilium missionariorum, qui Episcopo in gerendis negotiis gravioribus adsideant, saluberrime invectum sit, praestet nihilominus ut in aliis.... quamprimum id fiat. Antiquissimum enim in Ecclesia catholica est, ut seniorum quorundam adiutorium, ad huiusmodi rerum tractationem maturiorem ac faciliorem praesulibus adderetur : quod sequentibus temporibus per Capitulum ecclesiarum cathedralium effectum est. Quorum decretorum vestigiis insistens, Concilium plenarium Baltimorense III (9 dec. 1884), tit. 2, cap. 2, figuram consultorum dioecesanorum iure particulari in ecclesiasticam disciplinam invexit. Eius vero Concilii actis approbatis, Ap. Sedem de consultoribus dioecesanis pluries verba fecisse reperimus, veluti 10 oct. 1910, declarando quod *consultores dioecesani stant loco Capituli in aliquibus dioecesibus, ubi cathedrale Capitulum erigi adhuc non potuit* ; veluti etiam 27 febr. 1914, declarando *prohiberi non posse, generaliter saltem loquendo, quominus Vicarii generales istarum dioecesum sint de numero consultorum.* Tamen, neque aequum esse neque opportunum id agere, quoties consultores paucissimi sint : *eo enim in casu alius sacerdos non de gremio consultorum est assumendus in Vicarium, vel numerus consultorum congrue augendus.* Tandem, per Codicem, institutum iuridicum consultorum dioecesanorum in ius commune receptum est in favorem dioeceseon, in quibus et quoad Capitulum cathedrale constitui aut restitui non possit et salvis peculiaribus preaescriptis Ap. Sedis. Tenentur itaque Episcopi, vix atque rerum adiuncta id permiserint, obligatione petendi ab Ap. Sede Capituli cathedralis erectionem ; interim vero constituendi collegium consultorum dioecesanorum.

2. *Hoc est sacerdotes pietate, moribus*, etc. — Cum consultores dioecesani, quoad regimen dioecesis eadem praestare debeant ac Capitulum cathedrale, iisdem etiam qualitatibus ornati esse debent. Quare quae in can. 404 explicando supra diximus, hic quoque applicanda sunt. Inter alia, abrogata disciplina ante Codicem vigente, in consultores dioecesanos nonnisi clerici sacerdotio aucti constitui possunt.

Can. 424.

Consultores nominat Episcopus, firmo praescripto can. 426.

Officium consultorum dioecesanorum neque beneficiale est, neque ad vitam, neque *ad nutum* : unde, secus atque contingit de Capitulis canonicorum, unus est modus conferrendi, nempe nominatio episcopalis ad normam can. 426, quem infra explicabimus.

CAN. 425.

§ 1. *Consultores dioecesani numero sint saltem sex ; in dioecesibus ubi pauci sint sacerdotes, saltem quatuor ; iidemque omnes in civitate episcopali vel in locis vicinioribus commorentur.*

§ 2. *Antequam munus huiusmodi suscipiant, iusiurandum interponant de officio fideliter exsequendo sine ulla acceptione personarum.*

Ex praescripto huius canonis, quilibet Episcopus residentialis necnon quilibet Abbas ac Praelatus *nullius* (cfr. can. 326), qui Capitulo cathedrali careat eo quod constitui aut restitui non potest, obligatione tenetur constituendi collegium consultorum saltem quatuor et, si agatur de dioecesi, abbatia vel praelatura *nullius* in qua non pauci sint sacerdotes, saltem sex. De paucitate vero sacerdotum ad effectum constituendi collegii consultorum dioecesanorum iudicare, Praesulis est. Quocirca oportet animadvertere non solum id quod supra diximus (cfr. comm. ad can. 423 n. 1) de Vicario generali ex eodem collegio assumendo vel non, sed etiam responsiones a Commissione Pont. ad Codicem interpretandum, 24 nov. 1918, nec non a S. Congr. Consistoriali, 22 febr. et 8 maii 1919, datas : quarum prior respondit et dispositiones particulares Concilii plenarii Baltimorensis, quoad ius nominandi Administratorem dioecesanum sede vacante, per Codicem esse abrogatas, et praescriptum canonis 427 in Foederatis Americae Statibus esse servandum *ad mentem:* nempe, si *hic et nunc* can. 427 applicari non possit, S. Congr. Consistorialis instructiones opportunas, ad tempus servandas, praebeat dempto omnino Episcopis iure nominandi Administratorem dioecesis mortis causa ; altera vero, ut Commissionis placitum applicaret, ex dispensatione SS.mi Patris, attentis peculiaribus adiunctis statuit ac decrevit ut, firma prohibitione a Commissione facta, in dioecesibus *in quibus quinque saltem vel sex consultores dioecesani non adsint*, Archiepiscopus aut provinciae ecclesiasticae Episcopus senior procedere possit, cum ratihabitione Delegati Ap., ad nominationem Administratoris dioecesani durante sedis vacatione : idque per triennium, dummodo interim coetus consultorum non fuerit auctus ad numerum superius indicatum. Quam praxim postea eadem S. Congregatio ad dioeceses extendit Dominii Canadensis atque Terrae Novae.

Haec quidem transitoria : sed ideo attulimus, ut Curiae Romanae hac in re stylus animadvertatur.

Ceterum canon clarus. Ad normam vero can. 1406 § 1 n. 6, consultores dioecesani tenentur quoque obligatione emittendi professionem fidei.

Can. 426.

§ 1. *Officium consultorum est ad triennium.*

§ 2. *Exacto triennio, Episcopus vel alios in eorum locum substituat, vel eosdem ad aliud triennium confirmet, quod idem servetur singulis trienniis.*

§ 3. *Deficiente, quavis de causa, aliquo consultore intra triennium, Episcopus alium de consilio ceterorum consultorum substituat, isque in officio maneat usque ad expletum idem triennium.*

§ 4. *Cum vero triennium excidisse contigerit vacante sede episcopali, consultores in officio maneant usque ad accessum novi Episcopi, qui intra sex menses ab inita possessione providere debet ad normam huius canonis.*

§ 5. *Si, sede vacante, aliquis consultor moriatur vel renuntiet, Vicarius Capitularis, de consensu aliorum consultorum, alium nominet, qui tamen, ut munere sede plena fungatur, indiget novi Episcopi confirmatione.*

Canon accuratissime describit modum constituendi, variis in rerum adiunctis, consultores dioecesanos: quare nulla indiget explicatione. Officium per se est triennale, sed potest per successivas Praesulis confirmationes usque ad obitum consultorum pertingere. Jure autem Praesulis resoluto, tenentur consultores, ad normam can. 432 § 1, intra dies octo eligere Vicarium collegii cum potestate Vicarii capitularis.

Can. 427.

Coetus consultorum dioecesanorum vices Capituli cathedralis, qua Episcopi senatus, supplet; quare quae canones ad gubernationem dioecesis, sive sede plena sive ea impedita aut vacante, Capitulo cathedrali tribuunt, ea de coetu quoque consultorum dioecesanorum intelligenda sunt.

Ad normam can. 391 § 1, duplex est officium Capituli cathedralis: sollemniorem cultum Deo in ecclesia exhibere atque Episcopum, sede plena, tamquam eiusdem senatus adiuvare, sede vero vacante supplere in dioecesis regimine.

Qua Praesulis senatus collegium consultorum dioecesanorum locum tenet ac vices gerit Capituli cathedralis: ideoque obligationibus, quibus tenetur, atque iuribus, quibus fruitur qua senatus Episcopi sive sede plena sive vacante Capitulum cathedrale, tenetur quoque ac fruitur collegium consultorum. Quare, inter alia, quoties ex praescripto iuris communis praerequirenda sunt ad actus validitatem (can. 105, § 1) consilium aut consensus Capituli (cfr. comm. ad can. 411), etiam consultorum consensus aut consilium praerequirenda sunt.

Can. 428.

Durante munere, consultores ne removeantur, nisi ob iustam causam ac de consilio ceterorum consultorum.

Possunt consultores dioecesani, sicuti Curiae officiales, ab officio removeri durante munere per merum actum Ordinarii : non tamen sine iusta causa et inaudito collegio.

CAPUT VII.

DE SEDE IMPEDITA AUT VACANTE AC DE VICARIO CAPITULARI.

Can. 429.

§ 1. *Sede per Episcopi captivitatem, relegationem, exsilium aut inhabilitatem ita impedita, ut ne per litteras quidem cum dioecesanis communicare ipse possit, dioecesis regimen, nisi Sancta Sedes aliter providerit, penes Episcopi Vicarium Generalem vel alium virum ecclesiasticum ab Episcopo delegatum esto.*

§ 2. *Potest in casu Episcopus, gravi de causa, plures delegare, qui sibi invicem in munere succedant.*

§ 3. *His deficientibus, vel, uti supra dictum est, impeditis, Capitulum ecclesiae cathedralis suum Vicarium constituat, qui regimen assumat cum potestate Vicarii Capitularis.*

§ 4. *Qui dioecesim regendam, ut supra, suscepit, quamprimum Sanctam Sedem moneat de sede impedita ac de assumpto munere.*

§ 5. *Si Episcopus in excommunicationem, interdictum vel suspensionem inciderit, Metropolita, eoque deficiente vel si de eodem agatur antiquior inter suffraganeos, ad Sedem Apostolicam illico recurrat, ut ipsa provideat ; quod si de dioecesi agatur vel praelatura de quibus in can.* 285, *Metropolita qui fuit legitime electus, obligatione recurrendi tenetur.*

1. *Sede per Episcopi captivitatem* etc. — Ad normam can. 391 § 1, Capitulum cathedrale (eodemque iure consultorum dioecesanorum collegium), sede vacante, Ordinarii vices supplet in dioecesis regimine. Hinc, postquam actum est de Capitulis canonicorum ac de consultoribus dioecesanis, agendum erat Legislatori de sede episcopali (abbatiali ac praelatitia) vacante, atque, ob materiae similitudinem, de eadem sede impedita.

Quocirca Wernz-Vidal (*Jus canon.*, II n. 702) ait : *Regimen ecclesiae vacantis vel impeditae per Capitulum aliumve virum ecclesiasticum, unice pendet a positiva iuris ecclesiastici dispositione : ex ipsa namque divina Ecclesiae constitutione constat, nullam radicitus nec Capitulis nec presbyteris aliisve competere potestatem administrandi ecclesiam pastore proprio orbatam ; sed, spectato solo iure divino, unius Rom. Pontificis esse, dioecesis vacantis vel impeditae necessitatibus providere.... Ipsi soli competit potesta suprema, immediata et universalis in totam Ecclesiam...: quare dubitari non potes quin eo tempore, quo regimen ordinarium ecclesiae particularis... interrumpitur aut ob aliam circumstantiam suspenditur, illius sit supplere.* Quod quidem iure veteri per Capitulum fiebat, etiam in casu sedis impeditae : cum enim tum status Episcopi morti aequipararetur, ac proinde Vicarii generalis iurisdictio censeretur suspensa, non relinquebatur nisi ut ad Capitulum devolveretur regimen dioecesis. At postea iurisprudentia Curiae Romanae facta est Vicario generali favorabilior, ita ut excluderetur ad Capitulum devolutio extra casus in iure expressos. Unde, 6 dec. 1914 S. Congr. Consistorialis declarabat : *Cum in Mexicana republica, ob publicarum rerum subversionem, fere omnes Antistites locorum Ordinarii aut vi e suis dioecesibus expulsi, aut impediti quominus ad eas regrederentur, aut in carcerem detrusi, aut delitescere vel in finitimas regiones clam aufugere coacti fuerint, contigit ut nonnulla Capitula cathedralia censuerint casum evenisse eligendi Vicarium Capitularem, et revera in aliqua dioecesi illum eligere praesumpserunt, iniuste proinde sublata Vicario Generali Episcopi qualibet ordinaria potestate. Quod cum tolerari omnino nequeat, S. Congregatio Consistorialis, de mandato SS.mi D. N. Benedicti Pp. XV, declarat nullam esse in expositis adiunctis legitimam causam procedendi ad electionem Vicarii Capitularis, et si quae facta fuerit, eam irritam esse et nullius roboris ; sartam e contra tectamque et integram subsistere Episcoporum auctoritatem, quam ipsi vel per Vicarium Generalem vel per alium sacerdotem a se delegatum, exercere possunt ac debent.* Non igitur, iure quo utimur, Episcopus impeditus (etiam ex toto) demortuo aequiparatur, excepto casu, ut infra videbimus, de impedimento ex censura proveniente.

2. *Per Episcopi captivitatem, relegationem* etc. — Captivus is intelligitur, qui per vim sua naturali libertate privatur : quod quidem accidere potest in loco quoque suae residentiae ac vi privatorum ; is autem dicitur relegari, qui extra locum suae residentiae in territorio praecise circumscripto publica auctoritate detinetur ; is vero in exilium pelli, qui extra suae residentiae locum aut extra provinciam aut Statum, nullis circumscriptis finibus, eiicitur. Tandem ad inhabilitatem, de qua in canone, constituendam, requiritur ut, sicut et in casibus praedictis, tale sit impedimentum, per quod nullo modo Episcopus cum dioecesanis communicare

possit : nempe, vel corpus ita infirmum, ut nullo pacto possit sanae menti deservire ; vel mens ita capta, ut omnino inutilis sit corporis valetudo. Inhabilitas Episcopi ad dioecesim regendam oriri etiam potest (rarissime tamen nostra hac aetate) ex eius absentia : si nempe Vicarii generalis aut clerici delegati ius resolvatur vel suspendatur, et ubi Episcopus degat ignoretur.

3. *Dioecesis regimen, nisi* etc. — Potest in casu providere Ap. Sedes: scilicet, certior facta, dioecesi manus apponere per Administratorem Ap. Quod si factum non fuerit, regimen dioecesis devolvitur ex iuris praescripto ad Vicarium generalem, si extet in dioecesi ; si vero non extiterit, ad clericum, quem Episcopus in hunc finem delegaverit. Utique praestat, extante Vicario generali, ut Episcopus, si alios delegare voluerit, deleget cum clausula ut Vicario ac sibi invicem in munere succedant : quae facultas eidem a iure fit, causa gravi intercedente.

4. *His deficientibus* etc. — Si Vicarius generalis in dioecesi non extiterit et si Episcopus neminem specialiter delegaverit ; vel si clerici delegati aut Vicarii ius resolvatur vel suspendatur aut iurisdictio impediatur ; breviter, si episcopalis voluntatis designatio quomodocumque evanescat, regimen dioecesis ad Capitulum cathedrale vel ad collegium consultorum dioecesanorum ex iure devolvitur, *quasi ea episcopalis iurisdictionis potestas*, ut ait Berardi (*Comment. in ius ecclesiast. univ.*, dissert. V, cap. 2), *quae in solidum administrari videbatur et ab Episcopo et a Capitulo, iure adcrescendi in canonicis incipiat universa consistere.* Capitulum vero, cum minus apta sit persona moralis ad iurisdictionem exercendam, suum Vicarium constituere debet, qui regimen assumat cum potestate Vicarii Capitularis. Et videtur, ex analogia, intra octiduum esse Vicarius constituendus et, si id factum non fuerit, deputatio ad Metropolitam devolvi (cfr. can. 432), salvo semper iure Ap. Sedis, quae de statu rerum certior fieri debet, interveniendi ac, prout expedire iudicaverit, dioecesis necessitatibus providendi.

5. *Si Episcopus in excommunicationem*, etc. — Suspensa iurisdictione episcopali (can. 371), Vicarii quoque generalis iurisdictio suspenditur. Neque ad Capitulum devolvitur, cum, propter reverentiam Episcopo debitam, Capitulum illum supplere non possit, nisi sede vacante aut impedita praeter Episcopi culpam. Potestati vero delegatae tum locus amplius esse non potest, cum nequeat quis delegare potestatem quam, dum delegat, non habet, nec Episcopis facultas a iure fiat potestatem delegandi *ex nunc pro tunc.* Quare hoc in casu alio modo erat dioecesis necessitatibus providendum. Quod per canonem, quem modo explicamus, Legislator fecit : nempe decernendo, ut vel provinciae ecclesiasticae Metropolita vel Metropolita peculiariter electus (cfr. can. 285) ad Sedem Ap. illico recurrat. Agitur itaque in canone de Episcopo qui in excommuni-

cationem, interdictum vel suspensionem inciderit, quae et ecclesiasticam iurisdictionem suspendant et Ap. Sedi non innotescant : idcirco excluditur censura ferendae sententiae, quae nonnisi ab Ap. Sede in Episcopos irrogari potest (can. 2227 § 1 et 1557 § 1). Ceterum, ut recte Wernz-Vidal (*Jus canon.*, II, n. 706) animadvertit, vix casus accidere poterit, in quo Episcopus ob incursam censuram ab exercenda iurisdictione efficaciter impediatur, quin simul res delata sit ad Ap. Sedem : ex uno namque capite confessarius episcopalis iurisdictionem sacramentalem ipso iure obtinet etiam quod spectat ad censuras reservatas universas, exceptis tantummodo censuris specialissimo modo Ap. Sedi reservatis et iis, quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii (can. 349, § 1, n. 1 et 239, § 1, n. 2) ; ex alio vero a poena latae sententiae, quam in Episcopos declarare solius est R. Pontificis (can. 2227 § 1), ante sententiam declaratoriam in foro externo observanda delinquens excusatur, nisi delictum sit notorium, quoties eas servare sine infamia nequit (can. 2232, § 1).

Can. 430.

§. 1. *Sedes episcopalis vacat Episcopi morte, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata, translatione ac privatione Episcopo intimata.*

§ 2. *Nihilominus, excepta collatione beneficiorum aut officiorum ecclesiasticorum, omnia vim habent quae gesta sunt a Vicario Generali, usque dum hic certam de obitu Episcopi notitiam acceperit ; vel ab Episcopo aut Vicario Generali, usque dum certa de memoratis actibus pontificiis notitia ad eosdem pervenerit.*

§ 3. *A certa translationis notitia Episcopus intra quatuor menses debet dioecesim « ad quam » petere eiusdemque canonicam possessionem assumere ad normam can.* 333, 334 *et a die captae possessionis dioecesis « a qua » plene vacat ; interim vero in eadem Episcopus :*

1° *Vicarii Capitularis potestatem obtinet eisdemque obligationibus tenetur, cessante qualibet Vicarii Generalis potestate ;*

2° *Honorifica Episcoporum residentialium privilegia conservat ;*

3° *Integros percipit fructus mensae episcopalis ad normam can.* 194 § 2.

1. Quaenam fuerit sede vacante disciplina antiquissimis Ecclesiae temporibus, ita exponit Thomassin (*Vetus et nova Eccl. discipl.*, part. I, lib. 3, cap. 7, n. 13) : *Migrante e terris Episcopo, dioecesim universam administrabat clerus ecclesiae cathedralis, tractandis his sacris habenis superstite Episcopo iam edoctus et insuefactus.* Et affert litteras cleri Romani ad clerum Carthaginensem (*Epist.* 5 apud Cypr.) : « *Et cum incumbebat nobis, qui videmur praepositi esse, et vice Patris custodire gregem* » etc.

Fatendum nihilominus est, prosequitur, *viduatae ecclesiae clerum id moris habuisse, ut maiora quaeque negotia futuro Episcopo intacta servarentur. Ita clerus ipse Romanus* (*Epist.* 32, ibid.) : « *Ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus, ut interim dum Episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum causa teneatur, qui moras possunt dilatione sustinere* ». Ea igitur aetate vacantis dioecesis cura *presbyterio* a iure deferebatur, quod collegialiter quidem munus explebat, non tamen sine aliquo ordine hierarchico, nempe eo moderante qui primas partes agebat. Dein, aucta Metropolitarum auctoritate in Episcopis suffraganeis constituendis, delegatos suos (qui *intercessores*, *interventores*, *visitatores* dicebantur) mittebant, qui cum presbyterio vel Capitulo dioecesim administrarent, ne abusus admitterentur caverent atque novi Episcopi electio ad normam sacrorum canonum faciendam curarent. Postea, percrebrescente a saec. VIII auctoritate Capitulorum cathedralium, paullatim Metropolitae *intercessores* eliminati sunt atque administratio dioecesis vacantis iisdem Capitulis relicta, quae aut collegialiter aut per turnum aut per Vicarios capitulares delegatos *ad nutum* revocabiles, cum potestate plus minusve ampla ad Capituli arbitrium, dioecesim regebant. Tandem Conc. Tridentinum (Sess. XXIV, cap. 16 *de reform.*) disciplinam huiusmodi, tanquam unitati regiminis minus aptam, reformavit Capitulisque cathedralibus praecepit, ut *vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere... omnino teneantur... ; si secus factum fuerit, ad metropolitanum deputatio huiusmodi devolvatur*. Quam disciplinam Curiae Romanae iurisprudentia ac denique Codex quoquoversus perfecerunt.

2. *Sedes episcopalis vacat* etc. — Sedes episcopalis, perinde ac quodlibet beneficium ecclesiasticum, vacare potest per factum naturae, Episcopi aut Ap. Sedis. Primo modo vacat per Episcopi obitum, qui iura omnia solvit ; altero modo vacat per renunciationem legitime factam ; tertio modo vacat per translationem ad aliam sedem vel per sedis privationem. Et quia beneficia in Ecclesia non conferuntur in commodum beneficiarii sed Ecclesiae ipsius, vacatio ex facto Episcopi defluens, nempe renunciatio, suum effectum non parit, nisi postquam fuerit a Superiore, hoc est in casu a R. Pontifice, acceptata ; quoniam vero nulla lege, decreto aut placito Superioris quis tenetur antequam ad suam notitiam pervenerit, inde est quod privatio sedis ex auctoritate tenere non incipit, nisi postquam Episcopo intimata fuerit.

3. *Nihilominus, excepta collatione* etc. — Collatio officiorum ecclesiasticorum, etiam non beneficialium, sive libera (can. 152) sive necessaria (can. 1466 § 2), interdicitur Vicario generali, nisi obtinuerit ab Episcopo speciale mandatum de huiusmodi officiis conferendis, aut *toties quoties* aut *semel pro semper* (cfr. comm. ad can. 368 n. 4). Cum autem id Episcopi difficilius concedere soleant, Legislator praesumit non esse concessum.

Sed neque tum concedi potest, cum in commate praesumatur Vicarius generalis longe ab Episcopo commorari. Hoc igitur in casu, collatio officiorum ecclesiasticorum excipienda est. Quod si, non modo haec collatio, sed alia quoque, ut possint a Vicario generali legitime paragi, indigent Episcopi mandato speciali (cfr. ibid.), videtur Legislator per hoc comma, collationem tantummodo officiorum excipiens, necessitatum dioecesis ratione habita, sustulisse, hoc in casu, necessitatem obtinendi ad legitimitatem actus speciale mandatum. Potest itaque sedis episcopalis vacatio incipere aut post obitum Episcopi aut post acceptam ab Episcopo notitiam actus pontificii, per quem vel eius renunciatio acceptatur vel ad aliam sedem translatio aut sedis privatio intimatur. In primo casu non extat nisi Vicarius generalis, cui notitia resoluti iuris episcopalis pervenire possit, ideoque eius solummodo iurisdictio a iure prorogatur ; in altero autem et Episcopus extat et consequenter (cum unum et idem tribunal sit) Vicarius generalis.

3. *A certa translationis notitia* etc. — Peculiaris conditio a iure fit Episcopo ad aliam sedem translato, quae, cum capta quoque novae sedis possesssione tanquam substantiali elemento innitatur, non respicit translationem ad sedem titularem, cuius possessio non capitur (can. 348, § 1). Huius vero conditionis ratio in natura instituti iuridici canonicae translationis de uno ad alium officium ecclesiasticum requirenda est, per quam generatim prius officium vere et plene vacare non intelligitur, quam clericus legitimam alterius possessionem ceperit (can. 194, § 1), ita ut reditus prioris officii translatus percipiat, donec aliud occupaverit (ibid. § 2). Et inde patet ratio potestatis, privilegiorum atque emolumentorum, quae Episcopo translato a iure reservantur, donec, ad summum intra quatuor menses a recepta translationis notitia, novae sedis possessionem ceperit.

Can. 431.

§ 1. *Sede vacante, nisi adfuerit Administrator Apostolicus vel aliter a Sancta Sede provisum fuerit, ad Capitulum ecclesiae cathedralis regimen dioecesis devolvitur.*

§ 2. *Sicubi ex speciali Sanctae Sedis dispositione, Archiepiscopus aliusve Episcopus Administratorem dioecesis vacantis designet, hic omnes et solas facultates habet quae Vicario Capitulari competunt, eisdemque obligationibus ac poenis obnoxius.*

Sede igitur plene vacante per Episcopi obitum, renunciationem acceptatam, intimatam privationem vel per captam ab Episcopo translato possessionem novae sedis, nisi Ap. Sedes per Administratorem Ap. aliove modo, pro beneplacito, dioecesi manus apposuerit, regimen a iure devol-

vitur ad Capitulum ecclesiae cathedralis. Administrator Ap. ab Ap. Sede constitui potest vel directe vel indirecte, idest Metropolitae aliive eum designandi potestate facta, veluti contigit, ad triennium, 22 februarii et 8 maii 1919 pro Foederatis Americae septentr. Statibus nec non pro Dominio Canadensi et Terrae Novae. Itaque si directe constituatur, ad eius potestatem definiendam, in primis attendendae sunt litterae deputationis, deinde ius commune (cfr. can. 314) ; si indirecte, eodem iure censetur ac Vicarius Capitularis, de quo infra.

CAN. 432.

§ 1. *Capitulum ecclesiae cathedralis, sede vacante, intra octo dies ab accepta notitia vacationis, debet Vicarium Capitularem qui loco sui dioecesim regat et, si fructuum percipiendorum ei munus incumbat, oeconomum unum vel plures fideles ac diligentes constituere.*

§ 2. *Si Capitulum intra praescriptum tempus Vicarium aut oeconomum, quavis de causa, nullum deputaverit, deputatio ad Metropolitam devolvitur ; si autem ecclesia ipsa metropolitana fuerit vacans vel metropolitana simul et suffraganea, ad antiquiorem ex Episcopis suffraganeis.*

§ 3. *Etiam vacante dioecesi aut abbatia vel praelatura de quibus in can.* 285, *si Capitulum intra octiduum Vicarium vel oeconomum non nominaverit, hunc Metropolita qui fuit legitime electus ad normam citati canonis, constituat, nisi in abbatia vel praelatura « nullius » religiosa aliter ad normam constitutionum provideatur.*

§ 4. *Capitulum quantocius de morte Episcopi et deinde electus in Vicarium Capitularem de sua electione Sedem Apostolicam certiorem faciant.*

1. *Capitulum ecclesiae cathedralis* etc. — Sede igitur vacante, facto ipso ordinaria iurisdictio episcopalis in Capitulum cathedralem, nempe in collegium et dignitate et rerum usu in dioecesi praestantissimum, ex iuris dispositione transfertur. Sed, quoniam minus apte a collegio potestas exercetur, ea dumtaxat de causa translatio fit, ut Capitulum possit, intra dies octo ab accepta notitia vacationis, adeptam iurisdictionem iterum transferre in Vicarium capitularem a se constituendum. Dies octo statuuntur ; qui, cum initium capiant ab *accepta notitia vacationis*, ad normam can. 34 § 3, n. 3 definiri debent, ita nempe, ut primus dies non supputetur et tempus finiatur expleto ultimo die. Interim vero Capitulum ea potestate legislativa, iudiciaria et coactiva gaudet, quam postea ex iuris dispositione in Vicarium capitularem translaturus est. Rursum notitiam vacationis aut ex officio aut privatim Capitulum recipere potest : utraque sufficiens (nam ius non distinguit), dummodo certa sit.

2. *Si fructuum percipiendorum* etc. — *Officium oeconomi*, ait Bouix (*De Capitulis*, p. 544), *in eo situm est, ut res et iura ecclesiae servet illaesa,*

sive in eo statu, in quo fuerant tempore inductae vacationis ; item ut colligat et custodiat fructus ac reditus eius, qui decessit, in praelatura successori. Tum itaque Capitulum gravi obligatione tenetur ad oeconomum unum vel plures (prout necessitas postulaverit iuxta prudens Capituli arbitrium) intra octiduum constituendos, cum ex vacatione sedis necessitas defluit fructuum percipiendorum : quaecumque tandem fuerit eorum natura aut fons a quo descendunt. Oeconomos autem laicos esse posse, ex eo patet, quod et nihil ius ab iis requirit nisi ut sint fideles ac diligentes, et nulla iurisdictio ecclesiastica iisdem defertur.

3. *Si Capitulum intra praescriptum tempus* etc. — Octiduo, ut supra diximus, transacto, si Vicarius generalis aut oeconomus constitutus non fuerit, ius atque obligatio deputandi (non autem iurisdictio) ad Metropolitam vel, sede metropolitana vacante, ad antiquiorem ex Episcopis suffraganeis devolvitur, nempe ad eum qui inter suffraganeos prius dioecesis (in provincia) possessionem ceperit. Et hinc consequitur, octiduum, a iure Capitulo cathedrali hoc in casu concessum, non quidem utile esse tempus sed continuum ; quod nempe tum quoque currit, cum Capitulum agere non valet (can. 35) : idque proculdubio ob publicam dioecesis utilitatem. Unde canon ait :

4. *Quavis de causa* etc. — Haec verba generalissima quodcumque causarum genus comprehendunt, una tantum excepta, nempe ignorantia (utique rationabili) vacationis sedis : haec namque causa expresse excluditur, dum octiduum supputandum esse dicitur (§ 1) *ab accepta notitia vacationis* ; estque exceptio, cum de *facto* agatur, iuris naturalis. Restant ceterae causae, quae ad duas contrahi possunt : quod Capitulum, sciens ad deputationem Vicarii capitularis vel oeconomi sibi esse deveniendum, id facere aut nolit aut non possit. Si voluntarium atque directum contemptum legis, praecipientis ut ad deputationem procedatur, praetermiserimus, Capitulum censendum est id facere nolle ex. c. cum, iteratis inutiliter scrutiniis, absoluta suffragiorum maioritas (cfr. can. 433, § 2) minime obtinetur. Quod vero agere non valeat, contingere potest pluribus de causis, veluti si, persecutione aut morbo desaeviente, capitulares dispersi fuerint vel impediti. Quid, si unus tantummodo capitularium praesens fuerit ? Videtur suffragium esse validum, perinde ac si, tribus aut pluribus praesentibus, nulla sint, praeter unum, suffragia universa. Idque firmatur auctoritate S. Congr. Concilii in casu simili. Cum enim quaesitum esset, num unicus superstes quorundam Capitulorum provinciae Armacanensis in Hibernia, deputare posset, sede vacante, Vicarium capitularem, S. Congregatio (12 mart. 1672) respondit : *Affirmative, dummodo non eligat seipsum.*

5. *Etiam vacante dioecesi* etc. — Hactenus de *dioecesi* vacante, de devolutione regiminis ad *Capitulum* cathedrale cum iure atque obligatione

Vicarium capitularem et oeconomum deputandi deque ulteriore devolutione huius obligationis atque iuris ad *Metropolitam* vel quandoque ad antiquiorem ex Episcopis suffraganeis. Sed eodem iure ac dioeceses, censentur quasi-dioeceses (can. 285), nempe abbatiae et praelaturae *nullius*, exceptis quasi-dioecesibus alicui religioni concreditis, in cuius constitutionibus approbandis Ap. Sedes alio modo hisce necessitatibus providerit; itemque dioeceses quae nulli Metropolitae subsunt ac metropolitanae suffraganeis carentes (ibid.) : scilicet, hisce in casibus, ius et obligatio Vicarium capitularem vel oeconomum, negligente Capitulo, deputandi, devolvitur ad Metropolitam viciniorem legitime electum ad normam can. 285. Est etiam animadvertendum, iura et obligationes, quae hi canones Capitulis cathedralibus attribuunt, intelligenda quoque esse de collegiis consultorum dioecesanorum.

CAN. 433.

§ 1. *Unus deputetur Vicarius Capitularis, reprobata contraria consuetudine ; secus electio irrita est.*

§ 2. *Vicarii Capitularis et oeconomi constitutio fieri debet per actum capitularem ad normam can.* 160-182, *salvis peculiaribus huius Capitis normis, et ad eius validitatem requiritur numerus suffragiorum absolute maior demptis suffragiis nullis.*

§ 3. *Idem potest in Vicarium Capitularem et oeconomum deputari.*

1. *Unus deputetur Vicarius* etc. — Ad unitatem regiminis servandam, sicuti unus Episcopus, ita et unus Vicarius capitularis a iure requiritur. Ideoque unus tum etiam constituendus est, cum agitur de dioecesibus aeque principaliter unitis. Quare, si forte duo extent Capitula cathedralia, iisdem omnino iuribus fruentia, sane una simul convenire debent et unico actu capitulari deputatio fieri. Quod si veteri iure plurium Vicariorum deputatio certis in casibus permittebatur, id hac de causa fieri poterat, quod fines iurisdictionis Vicarii pendere censebantur ab arbitrio Capituli: unde Capitulum, sicuti Episcopus pluribus Vicariis generalibus, uni vel pluribus Vicariis capitularibus iurisdictionem committere poterat. Sed haec consuetudo a Codice reprobatur, ac proinde et sublata est et amplius praescribi non potest. Quod si nihilominus alicubi plures Vicarii capitulares constituti fuerint, electio irrita est.

2. *Per actum capitularem* etc. — Nempe per electionem aut postulationem vel compromissum in arbitros, ad normam can. 160-182 peracta. Est hic modus aptior ad manifestandam voluntatem personae moralis collegialis, ideoque eo uti capitulares tenentur. Non tamen, ut veteri quoque iure, ad validitatem actus; quare, summo iure, ad validam depu-

tationem sufficit, ut quocumque naturali modo, quod tamen probari possit, voluntas capitularium exprimatur.

3. *Absolute maior* etc. — Ad normam can. 101 § 1 n. 1, circa actus personarum moralium collegialium, *nisi aliud expresse iure communi aut particulari statutum fuerit, id vim iuris habet, quod.... placuerit parti absolute maiori eorum qui suffragium ferunt, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio.* Est autem *aliud expresse iure communi statutum* ex. c. quoad electionem Abbatis vel Praelati *nullius* (can. 321), necnon Episcopi (can. 329, § 3), si cui collegio sit ius eos eligendi ; idemque statuitur in canone quem modo explicamus, quoad deputationem Vicarii capitularis atque oeconomi, sede vacante: scilicet hisce in casibus ius commune, ob peculiarem negotii gravitatem, excludit omnino maioritatem relativam et requirit ad validitatem electionis in omnibus scrutiniis absolutam maioritatem suffragiorum. Agitur itaque de lege irritanti, quae, ad normam can. 6 n. 1, quamcumque legem particularem contrariam (quod enim cavetur in can. 101 § 1 n. 1 de iure particulari, non valet nisi silente iure communi) abrogat ; ad normam vero can. 5, quamcumque consuetudinem, etiam centenariam aut immemorabilem : siquidem in casu ageretur de consuetudine, quae semper potest submoveri et ideo nunquam tolerari potest.

Can. 434.

§ 1. *Ad Vicarii Capitularis munus deputari valide nequit clericus qui ad sacrum presbyteratus ordinem nondum fuerit promotus aut tricesimum aetatis annum non expleverit, aut ad eandem vacantem sedem fuerit electus, nominatus vel praesentatus.*

§ 2. *Vicarius Capitularis sit praeterea in theologia aut iure canonico doctor vel licentiatus aut saltem earundem disciplinarum vere peritus, in eoque morum integritas, pietas, sana doctrina cum prudentiae laude conspirent.*

§ 3. *Si praescriptae* § 1 *conditiones posthabitae fuerint, Metropolita aut, si ecclesia metropolitana vacans fuerit vel de ipso Capitulo metropolitano agatur, antiquior provinciae Episcopus, agnita rei veritate, Vicarium pro ea vice deputet ; actus autem illius qui a Capitulo electus fuerat, ipso iure sunt nulli.*

Prima pars canonis legem inhabilitantem continet. Quam si Capitulum in electione neglexerit, in poenam privatur ea vice iure electionis iterandae et subintrat Metropolita aut suffraganeus antiquior. Postrema vero canonis pars continet legem actus invalide electi irritantem, contra veterem iurisprudentiam (cfr. fontem in calce paginae ob valorem histo-

ricum unice relatum), iuxta quam iidem actus sustinebantur, fortasse ex errore communi. Est etiam animadvertendum, excludi quidem clericum, qui ad eandem vacantem sedem fuerit electus, nominatus vel praesentatus ante ipsam deputationem ; non autem officio decidere Vicarium capitularem postea promotum. Cetera clara.

Can. 435.

§ 1. *Sicut ad Capitulum ante deputationem Vicarii Capitularis, ita deinde ad Vicarium Capitularem transit ordinaria Episcopi iurisdictio in spiritualibus et temporalibus, exceptis iis quae in iure expresse sunt eidem prohibita.*

§ 2. *Quare Capitulum et postea Vicarius Capitularis omnia possunt quae enumerata sunt can.* 368, § 2 ; *item facultate pollent exercitium pontificalium in dioecesi cuilibet Episcopo permittendi, imo, si Vicarius Capitularis sit Episcopus, potest ipse eadem exercere, excluso tamen usu throni cum baldachino.*

§ 3. *Vicario Capitulari et Capitulo non licet agere quidpiam quod vel dioecesi vel episcopalibus iuribus praeiudicium aliquod afferre possit ; nominatim vero Vicarius Capitularis aliique sive de Capitulo sive extranei, clerici aut laici, per se vel per alium prohibentur Curiae episcopalis documenta quaelibet subtrahere vel destruere vel celare vel immutare.*

1. *Sicut ad Capitulum* etc. — Videamus itaque quaenam sit, sede vacante, natura quique fines potestatis Capituli cathedralis, quae facto ipso deputationis in electum Vicarium capitularem plenissime transit, quavis potestate Capitulo destituto. Nempe est potestas iurisdictionis, quam ius commune tribuit Episcopis residentialibus tum voluntaria, tum contentiosa, exceptis iis quae ab eodem iure expresse prohibentur. Haec sunt : excardinationis et incardinationis concessio, nisi elapsum sit annum a vacatione sedis episcopalis et Capituli consensus accedat (can. 113) ; Synodi dioecesanae convocatio (can. 357 § 1) ; cancellarii ac notariorum Curiae episcopalis remotio atque suspensio, nisi accedat Capituli consensus (can. 373 § 5) ; canonicorum ad honorem nominatio (can. 406 § 1) ; libera collatio beneficiorum perpetuorum, exceptis paroeciis quae ab anno vacaverint (can. 432 § 2) ; conversio paoreecia amovibilis in inamovibilem (can. 454 § 3) ; Congregationis religiosae fundatio (can. 492 § 1) ; erectio associationis fidelium aut permissio ut erigatur vel aggregetur (can. 686 § 4) ; casuum reservatio (can. 893 § 1) ; concessio litterarum dimissorialium, sub poena l. s. suspensionis *a divinis* (can. 2409), nisi elapsum sit annum a sedis episcopalis vacatione et Capituli consensus intercedat, excepto casu arctationis ratione beneficii iam recepti aut recipiendi vel officii sine mora

conferendi : quo in casu quocumque tempore sufficit capituli consensus (can. 958) ; definitio stipis propter utensilia ceteraque ad Missae sacrificium necessaria exigendae (can. 1303 § 3) ; paroeciarum unio inter se aut cum beneficio non curato (can. 1423 § 1) ; consensio in permutationem beneficiorum (can. 1487 § 1) ac tandem promotoris iustitiae aut defensoris vinculi remotio (can. 1590 § 1).

2. *Quare Capitulum et postea* etc. — Hactenus de potestate ordinaria. Sed praeterea competit Capitulo, sede vacante, ac postea Vicario capitulari potestas delegata hac in paragrapho definita. Scilicet potest uterque, ad normam can. 368 § 2, *nisi aliud expresse cautum fuerit* (nempe in ipsis rescriptis Ap. Sedis), *exequi rescripta apostolica quae Episcopo vel praecedenti rectori dioecesis remissa sint*, ac generatim ad ipsos quoque pertinent *facultates habituales Ordinario loci a Sancta Sede concessae*, nisi in earum concessione electa fuerit industria personae aut aliud expresse cautum sit (can. 66 § 2). Cetera clara. Sed praetermittendae non sunt graves poenae, in Vicarium capitularem aliosque, qui quoad documenta in Curiae episcopalis archivis servata deliquerint, a iure irrogatae, nempe excommunicatio l. s. necnon aliae poenae ab Ordinario inferendae (can. 2405 et 2406).

Can. 436.

Sede vacante nihil innovetur.

Canon conflatus est fere ad verbum ex tit. IX libr. III Decretalium, ubi sic exprimitur : *Ne sède vacante aliquid innovetur.* Ultima autem ratio legis in hoc posita est, quod sedes episcopalis, sicuti quaelibet persona moralis (can. 100 § 3), minori aequiparatur, qui in exercitio suorum iurium potestati tutorum obnoxia est (can. 89). Cum igitur tempore vacationis sedes episcopalis suo naturali tutore, nempe Episcopo, destituatur, inde consequitur nihil tum fieri posse, per quod status eius iuridicus immutetur, idest nihil esse innovandum quoad statum huiusmodi, seu quoad summam iurium ad eam spectantium, saltem si id cedat aut cedere possit in eius praeiudicium ; nam sicuti, ut ait Justinianus Aug. (*Inst.* I, 21), *auctoritas tutoris in quibusdam causis necessaria pupillis est, in quibusnam non est necessaria, ut ecce si quid dari sibi stipulentur* : ita, tempore quoque vacationis, meliorem fieri posse, occasione capta, sedis conditionem ambigendum non est.

Can. 437.

In Vicario constituendo nullam sibi iurisdictionis partem Capitulum retinere potest, nec gerendo muneri tempus praefinire aliasve restrictiones praestituere.

Diversis temporibus alio atque alio iure utebantur Capitula cathedralia, sede vacante. Ante Conc. Tridentinum, Vicarium capitularem et oeconomum

constituere non tenebantur. Quare, non solum episcopalis iurisdictio per vacationem sedis in Capitulum transferebatur, sed praeterea Capitulum ad libitum ea uti poterat. Per Conc. Tridentinum (Sess. 24, cap. 16) obligatio eidem imposita est Vicarium capitularem et oeconomum intra octiduum legitime constituendi, in quos iurisdictionis exercitium atque ius administrandi transiret. Sed tum quoque Capitulum cathedrale tanquam omnis iurisdictionis fons apud multos habebatur, perinde ac Episcopus, qui Vicarii generalis a se constituti potestatem et limitare potest et omnino auferre : non enim iurisdictio, sed eius tantummodo exercitium in Vicarium capitularem transferri censebatur.

Sententias huiusmodi recipiendas esse negavit Pius Pp. IX per const. *Romanus Pontifex* (28 aug. 1873) hisce verbis : *Huiusmodi vero decretum* (nempe Conc. Tridentini) *varie interpretati sunt privati canonicarum rerum scriptores. Quidam enim censuerunt posse Capitulum in constituendo Vicario aliquam iurisdictionis partem sibi reservare; alii putaverunt fas esse Capitulo ad certum tempus Vicarium deputare ; nec defuerunt qui arbitrati sunt, licere Capitulo Vicarium pro arbitrio removere et alium substituere.*

Recensitae scriptorum sententiae, subdit Pontifex, *a nonnullis Capitulis libenter exceptae sunt : quo factum est, ut in hac re tam magni momenti disciplinae uniformitas deficeret et Tridentinum decretum optatum finem plene non attingeret. Quamvis autem Sacrae Urbis Congregationes has sententias, suis responsis in casibus occurrentibus, pluries reprobaverint, ita ut ex earum responsis manifeste appareat, quae fuerit mens Patrum Tridentinorum in edendo decreto superius relato ; attamen cum nondum omnia ubique ad eam mentem exigi videamus, ad submovendam prorsus quamlibet dubitationis causam vel obtentum..... motu proprio ac certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine declaramus et decernimus : totam ordinariam Episcopi iurisdictionem, quae vacua sede episcopali ad Capitulum venerat, ad Vicarium ab ipso rite constitutum omnino transire; nec ullam huius iurisdictionis partem posse Capitulum sibi reservare, neque posse ad certum et definitum tempus Vicarium constituere multoque minus removere.*

Et haec principia, quibus de supra allatis quaestionibus actum est, integre sunt in Codicem recepta. Unde, iure quo utimur, Capitulum cathedrale, Vicario capitulari constituto, eidem omnino ita subiicitur, ut, si Capitulum ex. c. censura plectatur, iurisdictio Vicarii capitularis penitus incolumis perseveret.

CAN. 438.

Vicarius Capitularis, edita fidei professione de qua in can. 1406-1408, *statim iurisdictionem obtinet, quin necessaria sit illius confirmatio.*

Canonica deputatione rite perfecta, duo tantummodo requiruntur et sufficiunt ut Vicarius capitularis potestatem suam ex iuris dispositione as-

sequatur : acceptatio deputationis et emissio coram Capitulo (can. 1406 § 1 n. 4) professionis fidei ; per acceptationem voluntas electi voluntati eligentium accedit perficiturque actus iuridicus deputationis ; per emissionem professionis fidei impletur ultima a iure adiecta conditio *sine qua non* ad potestatem adipiscendam. Quae cum ita sint, cum nempe Vicarius capitularis a *lege* facto ipso suam iurisdictionem obtineat, nulla *hominis* confirmatio necessaria est.

Can. 439.

Quae in can. 370 *de Vicario generali praescripta sunt, eadem de Vicario quoque Capitulari dicta intelligantur.*

Honoris praerogativae quae Vicario generali a iure conceduntur, (can. 370), sunt maximae quae ecclesiastico viro, officium non perpetuum obtinenti et episcopali dignitate carenti, in dioecesi per dispositionem iuris tribui possint. Unde plus concedi non poterat Vicario capitulari.

En autem can. 370 praescriptum : *Vicarius Generalis publice privatimque praecedentiae ius habet super omnibus dioecesis clericis, non exclusis dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis, etiam in choro et actibus capitularibus, nisi clericus charactere episcopali praefulgeat, et Vicarius Generalis eodem careat. Si Vicarius Generalis sit Episcopus, omnia honorifica privilegia Episcoporum titularium obtinet ; secus durante munere habet tantum privilegia et insignia Protonotarii apostolici titularis* (cfr. comm. ad can. 370).

Can. 440.

Vicarius Capitularis obligatione tenetur residendi in dioecesi et applicandae Missae pro populo ad normam can. 338, 339.

Officium Vicarii capitularis residentiale est natura sua, estque eidem cura animarum adiecta : hinc canonis praescriptum. (Cfr. comm. ad can. 338 et 339). Quare poenae quae in can. 2381 statuuntur, ipsi quoque applicari possunt.

Can. 441.

Nisi aliter fuerit legitime provisum :

1. *Vicarius Capitularis et oeconomus ius habent ad congruam retributionem, in Concilio provinciali designatam vel recepta consuetudine concedi solitam, desumenda ex reditibus mensae episcopalis aut ex aliis emolumentis ;*

2. *Cetera emolumenta, quo tempore sedes episcopalis vacaverit, futuro Episcopo pro dioecesis necessitatibus reserventur, si ad Episcopum, ecclesia non vacante, pertinuissent.*

1. *Nisi aliter* etc. — Haec verba casus praesertim respiciunt, in quibus, sive ex obligatione per concordatum contracta sive ex dispositione unilaterali, retributionem exhibet Vicario capitulari ex aere publico auctoritas civilis, vel ex consuetudine legitime praescripta populus ipse. Quod si locum non habeat, retributio desumenda est ex reditibus mensae episcopalis vel ex aliis emolumentis quae praesto sint: ius mamque habet Vicarius capitularis ad congruam retributionem. Haec autem, ut congrua esse censeatur, sufficere debet ad omnes Vicarii necessitates, domo non exclusa, nisi habitatio *in natura* ei praebeatur in aedibus episcopalibus. Non tamen excedere debet, ut S. Congr. Concilii censuit in *Ventimilien.*, 15 ian. 1602, limites retributionis Vicarii Generalis.

2. *In Concilio provinciali designatam* etc. — Limites, de quibus supra, statuere munus est Concilii provincialis, locorum et personarum habita ratione. Quod quidem Concilii placitum, omnibus consuetudinibus contrariis, in provincia vigentibus, per se derogat. Ex adverso, usque dum Concilium provinciale retributionem definierit, sequendae sunt consuetudines in singulis dioecesibus receptae.

3. *Cetera emolumenta* etc. — Nempe agitur de emolumentis quae supersunt, postquam retributioni Vicarii capitularis consultum est. Itaque emolumenta huiusmodi, sive ad mensam episcopalem sive quomodocumque ad Episcopum, sede plena, pertineant, oeconomus futuro Episcopo, cum fructibus adamussim exactis, reservare debet. Est autem eidem Episcopo obligatio ea in dioecesis necessitatibus, non privatis, in sumendi. Quoad vero distributiones chorales, Vicarius capitularis eodem iure censetur ac Vicarius Generalis, ad normam can. 421 § 1, n. 3.

CAN. 442.

Oeconomus rerum ecclesiasticarum et proventuum curam et administrationem gerat, sub auctoritate tamen Vicarii Generalis.

Agitur hic de iis omnibus rebus ecclesiasticis atque proventibus, tum pacificis tum litigiosis, quae antea, sede plena, ab Episcopo administrabantur. Litigiosis quoque: nam et litium huiusmodi prosecutio, quantum fieri potest, futuro Episcopo reservanda est.

CAN. 443.

§ 1. *Vicarii Capitularis et oeconomi remotio Sanctae Sedi reservatur; renuntiatio authentica forma est exhibenda Capitulo, a quo tamen eam acceptari necesse non est, ut valeat; novi autem Vicarii vel oeconomi constitutio post prioris renuntiationem, obitum vel remotionem ad ipsum Capitulum pertinet, facienda ad normam can.* 432.

§ 2. *Cessat praeterea eorum munus per initam a novo Episcopo possessionem ad normam can.* 334 § 3.

Jus Vicarii capitularis (eodemque iure oeconomus censetur) resolvitur per mortem, voluntariam renunciationem, remotionem coactivam ob malam administrationem, sive id accidat ex inhabilitate sive ex negligentia, sive ob delictum publicum et scandalum subsequens ; denique per captam a novo Episcopo possessionem sedis.

Vicarius capitularis nullum, infra Ap. Sedem, Superiorem habet. Inde duplex consectarium descendit : — 1) Remotionem eius, seu oeconomicam seu poenalem, Ap. Sedi reservari ; — 2) Eius renunciationem, ut valeat, authentica forma exhibendam quidem esse Capitulo, a quo Vicarius est constitutus ; sed effectum suum iuridicum statim et facto ipso eam producere, sive a Capitulo acceptetur sive minus : deest namque inferiori facultas probandi vel reiiciendi Superioris renunciationem. Quare haec ea tantummodo de causa est exhibenda, ut Capitulum ad novam deputationem sibi deveniendum esse sciat.

Quomodocumque resolvatur ius Vicarii capitularis,ad Capitulum iurisdictio iterum facto ipso devolvitur, cui nisi Ap. Sedes aliter providerit, alter Vicarius intra octiduum deputandus est : secus ius atque obligatio deputandi in Metropolitam aliumve, ad normam can. 432 § 2 et 3, ex iuris dispositione transfertur.

Can. 444.

§ 1. *Novus Episcopus a Capitulo, a Vicario Capitulari, ab oeconomo et ab aliis officialibus, qui, sede vacante, fuerunt constituti, rationem exigere debet officiorum, iurisdictionis, administrationis munerisve ipsorum cuiuslibet, et in eos animadvertere, qui in suo officio seu administratione deliquerint, etiamsi, redditis rationibus, a Capitulo vel a Capituli deputatis absolutionem aut liberationem impetraverint.*

§ 2. *Idem rationem reddant novo Episcopo scripturarum ad ecclesiam pertinentium, si quae ad ipsos pervenerint.*

Novo Episcopo ius est et gravis obligatio, ab iis, qui quomodocumque partem habuerunt in dioecesi regenda sede vacante, rationem uniuscuiusque muneris exigendi, atque in eos, qui deliquerint, animadvertendi.

CAPUT VIII.

DE VICARIIS FORANEIS.

CAN. 445.

Vicarius foraneus est sacerdos qui vicariatui foraneo, de quo in can. 217, *ab Episcopo praeficitur.*

Sicuti Ecclesiae universae territorium in provincias ecclesiasticas ac dioeceses divisum est, ita cuiuslibet dioecesis territorium in vicariatus foraneos ac paroecias. Hinc, ob necessitates ecclesiasticae administrationis, vi can. 217 § 1, tenentur Episcopi suum quisque territorium in vicariatus foraneos distribuere, si id nondum factum sit. Sacerdos qui huiusmodi vicariatui praeficitur, modo vicarius foraneus appellatur, alias vero decanus ruralis.

Cuius instituti iuridici origines, ita describit Thomassin (*Vetus et nova Eccl. discipl.*) : *Quando monasticae disciplinae imago Capitulis canonicorum appingi coepit, par fuit in his atque in illis praepositorum et decanorum authoritas. Cum parochi etiam ruris capitula sua menstrua coeperunt colligere et congregationes, eligendi et ipsis fuere decani, in singulis regiunculis qui praeessent. His ruralibus decanis affinitas magna cum archipresbyteris, ut patet ex Concilio Tolosano* (a. 843, c. 3) : « *Statuant Episcopi loca conenientia per decanias, sicut constituti sunt archipresbyteri* ». *Hincmarus* (Episc. Remensis) *eos « magistros » vocat, quod ceteris illis imminerent parochis, et de statutorum observantia religiosissima a parochis exhibita Episcopum admonere deberent : « Haec omni anno investiganda sunt a magistris et decanis presbyteris per singulas matrices ecclesias et qualiter observentur illa quae capitulatim observanda presbyteris dedimus ». Non loci parocho,* prosequitur auctor (l. c., p. I, l. III, cap. 66, n. 14), *non regiunculae seu decanatus cuiusque seniori decani dignitas tribuebatur, sed parochi ipsi eligebant suo ex coctu dignissimum et rerum expertissimum, quem et ab Episcopo confirmari curabant, sive prior decanus vivere desisset sive sua illum loco deiecisset improbitas* (l. c.). Munus igitur perpetuum erat decanis ruralibus clero decanatus invigilandi et, si quid minus recte factum reperirent, Episcopum certiorem faciendi.

Sed praeterea : *Accedamus,* subdit Thomassin (o. c., p. II, l. III, cap. 24, n. 10), *ad conventus decanorum ruralium quo parochis confluendum erat primo cuiusque mensis die, ut in commune consulerent, quae sibi munia incumberent; qui scrupuli difficultatum incurrerent ; quorum castiganda negligentia es-*

set ; quorum flagitia animadvertenda ; quid Episcopus denique monendus esset de decanatus emendatione, maxime autem de parochis, quos ad meliorem frugem revocari posse minus sperarent.... In his collationibus, prosequitur ex *Actis* Hincmari Remensis (l. c. n. 11), *in id potissimum collaborabant parochi et archipresbyteri* (idest decani rurales), *ut causas excuterent peccatorum ac poenitentium publicorum, quorum in mores ac fervorem poenitudinis inquirebant, quo Episcopum certiorem facerent, cuius tum muneris erat iuxta canones reconciliationem accelerare vel ex adverso procrastinare.* Deinde : *In Concilio Rotogamensi,* ait, *anno* 1331 *statutum est, casus Papae vel Episcopo reservato spromulgari in Synodis episcopalibus et in « Kalendis decanorum »..... Concilium Coloniense anni* 1536 *ab archidiaconis et decanis ruris promulgari voluit in collationibus decanatuum statuta Concilii provincialis et Synodi dioecesanae.....* (l. c., cap. 76, n. 2). *Receptissimi ergo erant,* concludit Thomassin (l. c., n. 3), *et antiquissimi in Gallia, Anglia, Germania hi conventus parochorum..... Sed nulli hactenus in Italia obvii nobis fuerunt. Primus eos ibi videtur B. Carolus* (Borromaeus, † a. 1584) *instituisse in Concilio I Mediolanensi, ubi praecepit ut dioeceses singuli suas Episcopi in varias partirentur regiunculas, et earum unicuique « vicarium foraneum » praeficerent.*

Denique affert Thomassin can. 4 Concilii Lateranensis III (a. 1179), quo cavetur ut *archidiaconi, quinque aut septem ; decani* vero *constituti sub ipsis, duobus equis contenti existant.* Ex quo canone infert : *Visitabant ergo et decani rurales paroecias sui tractus, et archidiacono suo rationes omnium referebant, archidiaconi Episcopo* (l. c. 81, n. 3). Concilium Tridentinum potestatem vicariorum foraneorum restrinxit (Sess. XXIV, cap. 3, *de reform.*) ac tandem Codex noster (postquam per can. 217 iussit Episcopos ad dioecesim in vicariatus foraneos partiendam teneri), eorum iura atque obligationes diligentissime definivit (Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1920, p. 333 et 1922, p. 289).

Can. 446.

§ 1. *Ad munus vicarii foranei Episcopus eligat sacerdotem quem dignum iudicaverit, praesertim inter rectores ecclesiarum paroecialium.*

§ 2. *Vicarius foraneus ad nutum Episcopi amoveri potest.*

Nulla qualitas peculiaris in vicario foraneo a iure requiritur ; sed sufficit, ut presbyterali ordine auctus sit atque, iudicio Episcopi, eo officio dignus censeatur. Tenetur autem Episcopus vicarios foraneos praesertim inter parochos seligere : imo saepe ex iure particulari hoc officium cum principalioribus dioeceseon beneficiis paroecialibus coniunctum est ; quod quidem cum amovibilitate *ad nutum* male conciliatur.

Can. 447.

§ 1. *Vicario foranco, praeter facultates quas ei tribuit Synodus provincialis vel dioecesana et secundum normas in eadem Synodo legitime statutas vel ab Episcopo statuendas, ius et officium est invigilandi potissimum :*

1. *Num ecclesiastici viri sui ambitus seu districtus vitam ducant ad normam sacrorum canonum suisque officiis diligenter satisfaciant, praesertim circa residentiae legem, divini verbi praedicationem, impertiendam pueris atque adultis catechesim et obligationem infirmis assistendi ;*

2. *Num decreta lata ab Episcopo in sacra visitatione exsecutioni mandentur ;*

3. *Num debitae cautelae circa materiam Sacrificii Eucharistici adhibeantur ;*

4. *Num decor et nitor ecclesiarum et sacrae supellectilis, maxime in custodia sanctissimi Sacramenti et in Missae celebratione, accurate serventur ; an sacrae functiones secundum sacrae liturgiae praescripta celebrentur ; bona ecclesiastica diligenter administrentur, adnexaque illis onera, in primis Missarum, rite impleantur ; rectene conscribantur et asserventur libri paroeciales.*

§ 2. *De iis omnibus ut reddatur certior, vicarius foraneus debet, statutis ab Episcopo temporibus, sui districtus paroecias visitare.*

§ 3. *Pertinet etiam ad vicarium foraneum, statim atque audierit aliquem sui districtus parochum graviter aegrotare, operam dare ne spiritualibus ac materialibus auxiliis honestoque funere, cum decesserit, careat, et curare ne, eo aegrotante vel decedente, libri, documenta, sacra supellex aliaque quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur.*

Vicarii foranei possunt in primis, sicuti quilibet alius clericus, quacumque potestate iurisdictionis *ab homine* (nempe ab Ap. Sede, a Concilio plenario vel provinciali, a Synodo dioecesana vel ab Episcopo) donari. Quae tamen, cum non defluat ex iure communi, semper est delegata. Deficiente vero huiusmodi delegata potestate, Vicariis iisdem non restat nisi potestas ordinaria, quae ex huius canonis praescripto defertur, sane cum facultate eam delegandi atque concedendi ut subdelegetur, ad normam can. 199 : nempe invigilandi factis clericorum sui districtus, praesertim circa materias hac in paragrapho descriptas, et consequenter paroecias sibi subiectas, non quidem cum placuerit sed statutis ab Episcopo temporibus, ex officio visitandi. Jure igitur quo utimur, secus ac iure veteri, nulla potestas ordinaria iurisdictionis stricte sumptae competit vicariis foraneis.

Can. 448.

§ 1. *Vicarius foraneus debet, diebus ab Episcopo designatis, convocare presbyteros proprii districtus ad conventus seu collationes de quibus in can.* 131 *eisdemque praeesse ; ubi vero plures habeantur huiusmodi coetus in variis districtus locis, invigilare ut rite celebrentur.*

§ 2. *Si non sit parochus, debet residere in territorio vicariatus vel alio in loco non valde distanti secundum normas ab Episcopo definiendas.*

Ad normam can. 131, haberi debent *in singulis vicariatibus foraneis saepius in anno, diebus arbitrio Ordinarii loci praestituendis, conventus de re morali et liturgica ; quibus addi possunt aliae exercitationes, quas Ordinarius opportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam.* Cui conventui *interesse debent, nisi a loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint, tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi licet exempti curam animarum habentes et etiam, si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt* (Cfr. comm. ad can. 131).

Itaque hos omnes, ad suum districtum pertinentes, statutis diebus convocandi et conventui praesidendi, obligatio atque ius est vicario foraneo. Nulla vero ei competit, secus ac antiquitus, potestas ordinaria in eos qui non paruerint animadvertendi, ne poenis quidem pecuniariis.

Can. 449.

Saltem semel in anno vicarius foraneus proprii vicariatus rationem reddere debet Ordinario loci, exponens non solum quae intra annum bene gesta sint, sed etiam quae mala obrepserint, quae scandala exorta sint, quae remedia ad ea reparanda adhibita et quidquid agendum existimet ad ea radicitus extirpanda.

Canon, qui nulla explanatione indiget, continet praeceptum grave vicarium foraneum tenens ad referendum saltem quotannis super statu vicariatus.

Can. 450.

§ 1. *Vicarius foraneus sigillum habeat vicariatus proprium.*

§ 2. *Praecedit omnibus parochis aliisque sacerdotibus sui districtus.*

Cum esset rogata, an vicarius foraneus, qui sit simul canonicus Capituli collegialis, in suo districtu vi can. 450 § 2 praecedat ceteris canonicis in choro et actibus capitularibus : Pont. Commissio Codici interpretando

praeposita, 10 nov. 1925 negative respondit. Cuius ratio responsionis in eo posita est quod, cum Capitula tum cathedralia tum collegialia eius potestati penitus subtrahantur sintque immediatae Episcopi iurisdictioni subiecta, figura vicarii foranei coram Capitulis huiusmodi prorsus evanescit, proindeque nihil addit iuribus canonici Capituli collegialis coram ipso Capitulo. Non igitur vicarius foraneus Capitulis sui districtus praecedit; praecedit tamen, sicuti omnibus parochis aliisque presbyteris, capitularibus quoque singillatim sumptis, qui seiunctim a Capitulo simplices presbyteros non excedunt.

Cessat autem officium vicarii foranei, perinde ac cetera officia ecclesiastica, per obitum vel renunciationem titularis ab Episcopo acceptatam, atque praeterea per revocationem eidem ab Episcopo intimatam.

CAPUT IX.

DE PAROCHIS.

CAN. 451.

§ 1. *Parochus est sacerdos vel persona moralis cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda.*

§ 2. *Parochis aequiparantur cum omnibus iuribus et obligationibus paroecialibus et parochorum nomine in iure veniunt:*

1. *Quasi-parochi, qui quasi-paroecias regunt, de quibus in can.* 216, § 3;

2. *Vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti.*

§ 3. *Circa militum cappellanos, sive maiores sive minores, standum peculiaribus Sanctae Sedis praescriptis.*

1. *Parochus est sacerdos* etc. — In primis docet Legislator quid in iure veniat parochi nomine. Est igitur parochus sacerdos: nemo namque, post promulgationem Codicis, valide in parochum assumi potest, quin sit in presbyteratus ordine constitutus (can. 453, § 1). Idque etiam dicendum est de clerico, quem persona moralis, titulo paroeciali gaudens, in vicarium paroecialem legitime designaverit ad normam can. 471; itemque de ceteris vicariis paroecialibus et quasi-parochis, de quibus in paragrapho altera huius canonis. Deinde huic presbytero, ut parochi conceptui stricte respondeat, collata esse debet in titulum paroecia, seu territorium ab aliis distinctum (can. 216 § 1-3) in dioecesi (non autem in vicariatu aut praefectura ap.) existens (S. Congr. Conc., 13 iul. 1918), quamvis in commodum certa-

rum tantummodo personarum (veluti ex. c. Graecorum, Armenorum aut Italorum, vel Anglorum) conferatur. Quae paroecia collata esse debet in titulum, ita nempe ut nomine proprio, non alieno, regatur teneaturque titularis sua munera explere ex iustitia, non ex charitate tantum : quare parochi proprie non sunt, sed tantummodo, ob iura atque obligationes ex mandato defluentia, parochis aequiparantur vicarii paroeciales et quasi-parochi (Cfr. can. 216 § 1-3), qui postremi, in terris missionum constituti, territorium ideo in titulum non habent, quod neque habet in titulum Vicarius aut Praefectus Ap. qui mandatum dedit (cfr. comm. ad can. 293 n. 1 et 306 n. 1). Tertio paroecia collata esse debet cum cura animarum : nempe cum potestate, et quidem ordinaria, atque officio sacramenta fidelibus ministrandi ac verbum Dei proponendi, quo praecipue consistit animarum cura. Haec denique sub Ordinarii loci auctoritate exercenda est. Non enim, uti somniarunt quidam (cfr. Bouix, *Tract. de parocho*, p. 82), est officium paroeciale iuris divini aut apostolici, Episcoporum officio prorsus aequiparandum et ideo independenter ab Episcoporum auctoritate exercendum. Idque ex eo praesertim constat, quod per priora Ecclesiae saecula ne vestigium quidem parochorum reperimus.

2. Quocirca haec habet Devoti (*Instit. canon.*, I, tit. III, sect. 10, § 87 seq.) : *Inter eos, qui Episcopo opem ferunt in procuratione dioecceseos nobile in primis est officium parochorum, qui semel ab Episcopo constituti, iure proprio concrediti sibi populi curam exercent. Per tria priora Ecclesiae saecula nulla in ecclesiasticis monumentis parochorum est mentio. Una in principe dioeceseos civitate erat ecclesia, ad quam christiani omnes non modo urbis, sed etiam vicinorum oppidorum, die solis, hoc est dominico, confluebant ; et praesertim quidem distribuebatur Eucharistia, ad absentes per diaconos mittebatur. Huic ecclesiae, quae cathedralis erat, ipse praeerat Episcopus, qui suum habebat senatum et presbyterium, hoc est illi addictos presbyteros, quorum erat Episcopo dare operam in ecclesiae regimine et administratione... Cum, aucto christianorum numero, plures in una civitate ecclesiae conditae sunt, ad eas Episcopus diebus dominicis mittebat ex ecclesia cathedrali presbyteros, quorum erat sacra obire munera et praeesse populo, qui ad ecclesias illas confluebat. Verum hi presbyteri non erant perpetui rectores harum ecclesiarum, cum Episcopus eos modo uni, modo alteri committeret ex clericis ecclesiae cathedralis, eorumque officium finiretur tempore quod ab illo constituebatur. Itaque una tantum in singulis civitatibus erat ecclesia, quae proprie parochia, uti nunc est dici posset, nimirum ecclesia cathedralis ; reliquae minores ecclesiae nulli separatim presbytero addictae erant, sed ad eas regendas singulis diebus dominicis clerici de ecclesia Episcopi mittebantur.... Constitutae sunt* (saec. IV) *parochiae primum in vicis et villis, quarum incolae cum ad civitatem commode ire non possent, eorum gratia ibi conditae sunt ecclesiae, quibus, praepositi sacerdotes, qui populum illum regerent muneraque eccle-*

siastica exercerent. Serius (saec. XI) *in civitatibus ortae sunt parochiae, neque ubique omnes eodem tempore initium habuerunt. Cum enim ea res tota ab Episcoporum arbitrio penderet, alii citius, serius alii parochos in civitate constituerunt, uti maior minorve numerus christianorum eorumque utilitas atque necessitas postulabat.* Idque ita, ut ne tempore quidem Conc. Tridentini praxis huiusmodi ubique vigeret. Quare eius Concilii Patres (Sess. XXIV, cap. 13, *de reform.*) haec inter alia statuerunt : *In iis quoque civitatibus ac locis, ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant ; mandat sancta Synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut, distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent ..... a quo solo licite sacramenta suscipiant ; aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus ac locis ubi nullae sunt parochiales, quam primum fieri curent.* Quod iussum in Codice nostro (can. 216 § 1-2) iteratum est.

CAN. 452.

§ 1. *Sine Apostolicae Sedis indulto paroecia nequit personae morali pleno iure uniri, ita nempe ut ipsamet persona moralis sit parochus, ad normam can.* 1423 § 2.

§ 2. *Persona moralis, cui paroecia sit pleno iure unita, habitualem tantum curam animarum retinere potest, servato, quod ad actualem spectat, praescripto can.* 471.

1. *Sine Apostolicae Sedis indulto* etc. — Duplici modo potest paroecia uniri personae morali : nempe pleno iure vel iure minus pleno. Pleno iure uniri dicitur, cum ex unione ipsamet moralis persona fit perpetuo parochus eius paroeciae ; iure minus pleno uniri dicitur, cum ex unione paroeciae reditus cedunt in commodum personae moralis, congrua portione parocho relicta (cfr. can. 1423 § 2). Pleno iure unio Ap. Sedi a iure reservatur. Quare Ordinarii locorum nequeunt paroeciam unire cum mensa capitulari vel episcopali, cum monasteriis, ecclesiis religiosorum aut alia persona morali (ibid.) ; sed possunt unire iure minus pleno (ibid.).

2. *Persona moralis, cui paroecia* etc. — Patet personam moralem ad curam animarum gerendam minus esse aptam. Hinc iuris dispositio, per quam, si paroecia unita sit personae morali pleno iure, ita nempe ut ipsamet persona moralis sit parochus, non potest persona moralis per se gerere animarum curam, sed, ad normam can. 471 § 1, tenetur vicarium constituere eique sacri ministerii exercitium demandare, assignata eidem, arbitrio Episcopi, congrua fructuum portione.

CAN. 453.

§ 1. *Ut quis in parochum valide assumatur, debet esse in sacro presbyteratus ordine constitutus.*

§ 2. *Sit insuper bonis moribus, doctrina, animarum zelo, prudentia, ceterisque virtutibus ac qualitatibus praeditus, quae ad vacantem paroeciam cum laude gubernandam iure tum communi tum particulari requiruntur.*

1. *Ut quis in parochum* etc. — Uti antea innuimus, ex iure Codicis clericus non potest in parochum valide constitui, nisi presbyteratus ordinem antea sit adeptus. Aliter sub veteris iuris imperio: tum enim quilibet clericus, quamvis una tantum tonsura donatus, qui in ea esset conditione, ut intra annum post captam pacifice beneficii possessionem posset ad ordinem presbyteralem legitime promoveri, valide semper et, si iusta causa intercederet, etiam licite in parochum assumebatur.

2. *Sit insuper bonis moribus* etc. — Lex in paragrapho contenta, quamvis ex iure naturali defluat, non est inhabilitans. Omnia hac in re remittuntur conscientiae atque prudentiae Ordinariorum ; hi autem eum praeferre tenentur, qui ad paroeciam qua de agitur gubernandam, rerum adiunctis consideratis, magis idoneus apparuerit. Suntque in casu servandae normae quoque iuris particularis, quae iuri communi non contradicunt.

CAN. 454.

§ 1. *Qui paroeciae administrandae praeficiuntur qua propri eiusdem rectores, stabiles in ea esse debent ; quod tamen non impedit quominus omnes ab ea removeri queant ad normam iuris.*

§ 2. *At non omnes parochi eandem obtinent stabilitatem ; qui maiore gaudent, inamovibiles, qui minore, amovibiles appellari solent.*

§ 3. *Paroeciae inamovibiles nequeunt amovibiles reddi sine beneplacito apostolico ; amovibiles possunt ab Episcopo, non autem a Vicario Capitulari, de Capituli cathedralis consilio, inamovibiles declarari ; novae quae eriguntur, sint inamovibiles, nisi Episcopus, prudenti suo arbitrio attentis peculiaribus locorum ac personarum adiunctis, audito Capitulo, amovibilitatem magis expedire decreverit.*

§ 4. *Quasi-paroeciae sunt omnes amovibiles.*

§ 5. *Parochi autem, ad religiosam familiam pertinentes, sunt semper, ratione personae, amovibiles ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu : nec alter alteri causam iudicii sui aperire multoque minus probare tenetur, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem.*

1. *Qui paroeciae administrandae* etc. — Hanc legem explicare placet per verba praeliminaria decreti S. Congr. Consistorialis *Maxima cura*, 20 aug. 1910. Ait igitur S. Congregatio : *Maxima cura semper Ecclesiae fuit, ut christiano populo praeessent et animarum saluti prospicerent selecti e sacerdotum numero viri, qui vitae integritate niterent et cum fructu suis muniis fungerentur. Quamvis autem, ut hi rectores quae paroeciae utilia aut necessaria esse iudicarent alacriore possent animo suscipere soluti metu ne ab Ordinario amoverentur pro lubitu, praescriptum generatim fuerit, ut stabiles in suo ufficio permanerent ; nihilominus, quia stabilitas haec in salutem est inducta fidelium, idcirco sapienti consilio cautum est, ut eadem non sic urgeatur, ut in perniciem potius ipsorum cedat. Quapropter, si quis scelestus creditum sibi gregem destruat magis quam aedificet, is debet iuxta antiquissimum et constantem Ecclesiae morem, quantum fas est, instituto iudicio de crimine, beneficio privari, hoc est a parochiali munere abduci. Quod si, vi canonici iuris, criminali iudicio ac poenali destitutioni non sit locus ; parochus autem hac illave de causa, etiam culpa semota, utile ministerium in paroecia non gerat, vel gerere nequeat, aut forte sua ibi praesentia noxius evadat : alia suppetunt remedia ad animarum saluti consulendum. In his potissimum est parochi amotio, quae oeconomica seu disciplinaris vulgo dicitur, et nullo iudiciali apparatu sed administrativo modo decernitur, nec parochi poenam propositam habet, sed utilitatem fidelium. Salus enim populi suprema lex est : et parochi ministerium fuit in Ecclesia institutum, non in commodum eius cui committitur, sed in eorum salutem pro quibus confertur.* Quae quidem omnia iis tantummodo applicari possunt, qui paroeciae administrandae praeficiuntur *qua proprii ciusdem rectores*, sive parochi nuncupentur sive vicarii perpetui sive, ut in Gallia, *desservants*, sive quovis alio nomine ; non autem iis qui paroeciae praeficiuntur ad tempus, sive ob parochi infirmitatem sive ob vacationem beneficii aut aliam similem causam : hi namque semper *ad nutum* amoveri possunt.

2. *At non omnes parochi* etc. — Itaque verba *inamovibilis* et *amovibilis* nihil aliud in casu significant, iure quo utimur, nisi parochos *maiorem* vel *minorem stabilitatem obtinere* seu amovibiles facilius, inamovibiles vero difficilius amoveri posse : nam nullum officium ecclesiasticum, romano pontificato excepto, veram et propriam inamovibilitatem secumfert. Amoveri tamen quis non potest ab officio paroeciali nisi certa forma ad normam iuris (cfr. can. 2147-2161), etiamsi agatur de paroecia amovibili ; dum a ceteris officiis amovibilibus, clericus semper potest, iusta de causa et naturali aequitate servata, ab Ordinario sine certo modo procedendi amoveri (can. 192 § 3). Diximus: *Jure quo utimur*. Constat enim ante decr. *Maxima cura*, de quo supra, *nonnisi*, ut ait S. Congr. Consistorialis, 28 iun. 1915, *praevio processu, et idcirco diuturno studio et labore et vix ex causa criminali deturbari poterat parochus a beneficio quod in titulum assecutus fuerat.*

3. *Paroeciae inamovibiles nequeunt* etc. — Ratio reservationis, potius quam in iure tertii in tabulis fundationis quandoque forte sancito, posita esse videtur in favore qua Ap. Sedes paroecias inamovibiles etiamnunc prosequi pergit : quare, ad praecavendas immutationes ad quas Episcopi facile propendunt, facultatem immutandi omnino praecidit ac sibimet ipsi reservavit. Quasi-paroeciae vero, in terris missionum ubi sacra hierarchia nondum constituta est existentes, amovibiles sunt natura sua : neque enim, ut supra innuimus conferuntur in titulum neque in titulum conferri possunt, cum ne ipse quidem collator, nempe Vicarius vel Praefectus Ap., officium sibi commissum in titulum habeat, sed vice ac nomine gerat R. Pontificis, qui unicus est iure proprio hisce in territoriis pastor.

4. *Parochi autem ad religiosam* etc. — Videndum est quanam de causa parochi ad religiosam familiam pertinentes amovibiles *ad nutum* esse dicantur *ratione personae*, sive paroeciae per se amovibili addicti fuerint sive paroeciae per se inamovibili. Sciendum igitur est, personam parochi religiosi duplici vinculo subiectionis obstringi : scilicet, altero quidem Superiori religioso ratione religiosae professionis, altero vero Ordinario loci ratione officii paroecialis subiicitur. Ratione igitur personae parochus huiusmodi duos Superiores habet, quorum alter ad religionis oeconomiam atque incrementum prospicit, alter vero ad salutem fidelium sibi concreditorum. Quoniam autem duo haec obiecta possunt in unum non conspirare et utrinque agi prudenter, hinc uterque Superior libere prorsus agere potest : ille ratione professionis religiosae, hic officii paroecialis.

Can 455.

§ 1. *Jus nominandi et instituendi parochos competit Ordinario loci, exceptis paroeciis Sanctae Sedi reservatis, reprobata contraria consuetudine, sed salvo privilegio electionis aut praesentationis, si cui legitime competat.*

§ 2. *Sede vacante aut impedita ad normam can.* 429, *ad Vicarium Capitularem aliumve qui dioecesim regat, pertinet :*

1. *Vicarios paroeciales constituere ad normam can.* 472-476 ;

2. *Confirmare electionem aut acceptare praesentationem ad paroeciam vacantem, et institutionem electo aut praesentato concedere ;*

3. *Paroecias liberae collationis conferre, si sedes ab anno saltem vacaverit.*

§ 3. *Horum nihil Vicario Generali competit sine mandato speciali, salvo praescripto cit. can.* 429, § 1.

1. *Jus nominandi* etc. — Nominatur clericus ad paroeciam liberae collationis ; instituitur autem si ad paroeciam electus fuerit aut praesentatus ab eo qui hoc iure gaudet eoque legitime usus est. Jam vero ius paro-

chos nominandi atque instituendi pertinet exclusive ad loci Ordinarium, nempe ad Episcopum, Adminisratorem Ap. (can. 315 § 1 et 316 § 1), Coadiutorem Episcopi prorsus in habilis (can. 251 § 2) vel cui haec potestas a litteris apostolicis collata fuerit (ibid. § 1); denique ad Vicarium capitularem sede vacante atque ad Vicarium generalem aliumve virum ecclesiasticum, sede impedita ab Episcopo delegatum ad normam can 429 § 1 et 2: sed hisce postremis in casibus cum restrictionibus hoc in canone, quem exponimus, sancitis. Quod si agatur de quasi–parochis missionum idem ius Vicariis atque Praefectis Ap. reservatur. Imo, cum ad collationem (nempe liberam) omnium vacantium beneficiorum, habeat Ordinarius loci in proprio territorio intentionem in iure fundatam (can. 1432 § 1), ii, qui sibi ius esse asserunt clericum ad paroeciam eligendi aut praesentandi, ius suum, si requisiti fuerint, probare tenentur. Quare, habita ratione iurium aliis legitime quaesitorum et, uti patet, exceptis paroeciis per can. 1435 Ap. Sedi reservatis aut in peculiari casu a R. Pontifice *affectis* quas idem Pontifex confert per Datariam Ap., beneficiorum collator est ubique terrarum loci Ordinarius. Quae praxis vetustissimae disciplinae formam substantialiter exhibet. Nec aliter esse poterat, cum, sicuti R Pontifex ad Ecclesiam universam, ita Episcopi ad particulares Ecclesias regendas,sint divinitus constituti.

2. *Reprobata contraria consuetudine* etc. — Contraria casuetudo reprobatur : ideoque, ad normam can. 5, si alicubi extiterit, omnis eius vis legalis per Codicem nostrum sublata est, neque amplius legitime introduci potest. Jus vero electionis et praesentationis tanquam privilegium habendum est: privilegium, inquam, contra nativum Ordinarii loci ius, peculiaribus in adiunctis et non sine ratione legitime quaesitum. Ut autem vis clausulae rite intelligatur, verba canonis *sed salvo* diligenter sunt animadvertenda. Scilicet, propter vim adversativam particulae *sed*, nullum *aliud* privilegium (sive apostolicum sive minus) aut ius collationis, quocumque nomine veniat (ideoque etiam per praescriptionem quaesitum), post hanc promulgatam legem subsistere potest, sed omnia ad paroecias nominandi vel instituendi iura, quae forte antea legitime exercebantur, revocata esse intelliguntur (cfr. comm. ad can. 396, n. 3). Unde S. Congr. Concilii, 19 febr. 1921: *Videtur can.* 455 *privilegium quoque apostolicum de institutione canonica revocasse. Idque confirmari videtur per can.* 403 : *si namque, quoad collationem canonicatuum et beneficiorum in ecclesiis cathedralibus et in ipsis collegialibus, fit revocatio etiam contrarii privilegii apostolici, a fortiori id dicendum videretur quoad institutionem seu collationem paroeciarum, quum hic de suprema lege salutis animarum agatur.*

3. *Sede vacante aut impedita* etc. — Sede impedita aut vacante, idest proprio pastore ad tempus destituta, futuro aut redeunti Ordinario, quoad fieri potest, reservanda est collatio officiorum ecclesiasticorum. Quia vero

facile inde detrimentum capere possunt cura animarum ac iura aliis quaesita, ideo illi, qui tum territorio legitime praeest, ius est officia et beneficia quaedam, a legislatore taxative enumerata, eo etiam tempore conferendi. Quare, ratione necessitatis, constitui libere possunt vicarii paroeciales; ne legitimis eligendi vel praesentandi iuribus praeiudicium afferatur, possunt electiones confirmari ac praesentationes acceptari ac consequenter canonica institutio concedi; tandem vero, alapso anno ab inita vacatione seu occurso impedimento, ne diutius provisio differatur cum notabili animarum detrimento, possunt paroeciae quoque liberae collationis conferri.

Can. 456.

Ad paroecias religiosis concreditas Superior, cui ex constitutionibus id competit, sacerdotem suae religionis praesentat Ordinario loci; qui eidem, servato praescripto can. 459, § 2, *institutionem concedit.*

Beneficia in genere vel saecularia sunt vel religiosa, prout ad solos clericos saeculares vel solos clericos religiosos spectant (can. 1411, n. 2). Saecularia autem beneficia nonnisi clericis e clero saeculari conferenda sunt; [religiosa sodalibus illius religionis, ad quam beneficia pertinent (can. 1442). Unde religioso saeculare, saeculari vero clerico, sine indulto Ap. Sedis, religiosum beneficium conferri non potest. In canone de beneficiis paroecialibus religiosis agit Legislator. Peculiaris est hoc in casu parochi natura: qua enim religiosus est, a religione aut plerumque aut, si religio sit exempta, omnino dependet; qua parochus a loci Ordinario: officium namque paroeciale, uti supponitur, exercet in fideles non exemptos, qui proinde subsunt iurisdictioni Ordinarii loci. Inde canonis praescriptum quoad collationem paroeciarum religiosarum.

Scilicet Superior religiosus iure gaudet parochi personam praesentandi, utique iuxta praescriptum can. 1457 et seq.; Ordinarius autem iure acceptandi aut, si ad vacantem paroeciam regendam videatur minus idoneus (can. 459 § 2), repellendi praesentatum. Et in casu conflictus insanabilis, negotium ad Ap. Sedem deferendum est; interim vero per vicarium paroecialem curae animarum providendum. Estque haec disciplina, de requirenda approbatione Ordinarii loci, a Conc. Tridentino introducta (Sess. XXV, *de regularibus*, c. 11).

Can. 457.

Quasi-parochos e clero saeculari proprius loci Ordinarius nominat, audito Consilio de quo in can. 302.

Quasi-parochi missionum, quoad iura et obligationes parochis aequiparantur et parochorum nomine in iure veniunt: unum quod interest dis-

crimen in eo positum est, quod non quidem paroeciam regunt, nempe partem dioecesis, sed quasi-paroeciam, idest partem territorii, ubi hierarchia ecclesiastica nondum est constituta, et in quod unus R. Pontifex proprio nomine potestatem habet. Cum igitur eadem substantialiter sit rerum conditio, eodem quoque modo ac parochi quasi-parochi constituentur a loci Ordinario, idest a Vicario vel Prefecto Ap., tum etiam cum ad clerum saecularem pertinent et Praesul est religiosus. Contrarium autem fere nunquam contingere potest; nam, postquam aliqua quasi-dioecesis in terris missionum alicui religioni concredita est, ex ea Praesules religione regulariter assumuntur. Dum vero nullius consilio uti debet dioecesis Ordinarius in constitutione parochorum, in quasi-parochis constituendis ad actus validitatem (can. 105 n. 1) audiendum antea est Consilium de quo in can. 302, nempe ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis pro gravioribus negotiis constitutum (ibid.).

CAN. 458.

Vacanti paroeciae curet loci Ordinarius providere ad normam can. 155, *nisi peculiaria locorum ac personarum adiuncta, prudenti Ordinarii iudicio, collationem tituli paroecialis differendam suadeant.*

Officiorum provisio, ait can. 155, *cui nullus terminus fuit speciali lege praescriptus, nunquam differatur ultra sex menses utiles ab habita notitia vacationis, firmo praescripto can.* 458. Canon vero 1432 § 3: *Si Ordinarius extra semestre ab habita certa vacationis notitia beneficium non contulerit, huius collatio devolvitur ad Sedem Apostolicam, salvo praescripto can.* 458.

In primis igitur tenetur Ordinarius ad beneficium paroeciale intra semestre conferendum. Idque temporis spatium ab habita certa vacationis notitia demetiendum est, nempe ad normam can. 34, § 3, n. 3: quare primus dies, quo scilicet notitia ad Ordinarium pervenit non computatur et tempus finitur expleto post menses sex ultimo die eiusdem numeri. Quod si facere negligat, collatio iure devolvitur ad Ap. Sedem.

Sed tempus huiusmodi non continuum est, sed utile (can. 155): unde non currit agere non valenti (can. 35).

Praeterea vero tum quoque cum Ordinarius agere valet, si ea fuerint locorum ac personarum adiuncta quae, prudenti Ordinarii iudicio, collationem tituli paroecialis differendam suadeant, tempus non currere censetur, usque dum ea adiuncta perseveraverint.

CAN. 459.

§ 1. *Loci Ordinarius, graviter onerata eius conscientia, obligatione tenetur vacantem paroeciam illi conferendi, quem magis idoneum ad eam regendam habuerit, sine ulla personarum acceptione.*

§ 2. *In hoc iudicio ratio haberi debet non solum doctrinae, sed etiam earum omnium qualitatum, quae ad paroeciam vacantem rite regendam requiruntur.*

§ 3. *Quare loci Ordinarius :*

1. *Ne omittat documenta, si qua sint, ex Curiae tabulario desumere quae clericum nominandum respiciunt et notitias, secretas quoque, si opportunum iudicaverit, prudenter exquirere etiam ex locis extra dioecesim ;*

2. *Prae oculis habeat praescriptum can.* 130, § 2 ;

3. *Clericum examini super doctrina coram se et examinatoribus synodalibus subiiciat ; a quo, de consensu eorundem examinatorum, potest dispensare, si agatur de sacerdote doctrinae theologicae laude commendato.*

§ 4. *In regionibus in quibus paroeciarum provisio fit per concursum sive specialem ad normam const. Benedicti XIV « Cum illud »,* 14 *dec.* 1742, *sive generalem, haec forma retineatur, donec Sedes Apostolica aliud decreverit.*

Agitur sane de canone summi momenti, quippe qui respicit delectum clericorum, quibus immediatam animarum salus toto orbe concreditur.

Et in primis animadvertere placet, hanc legem, quamvis gravem, non esse irritantem nisi in casu, quo Ordinarius candidatum contra examinatorum synodalium suffragium ad paroeciam admittat (cfr. can. 105, n. 1), vel quo ne requirat quidem eorum consensum : quod ultimum *a fortiori* infertur ex eo, quod tum Ordinarius invalide agit, cum non requirit *consilium* a iure praeceptum (ibid.) : quod minus est. Cetera Ordinarii conscientiae relinquuntur.

Qui primum gravi obligatione tenetur ei vacantem paroeciam conferendi, qui, nedum idoneus habitus est, sed ad illam peculiarem regendam paroeciam, omnium circumstantiarum habita ratione, magis idoneus apparuerit. Tantique hoc principium momenti Ap. Sedi visum est, ut per S. Congr. S. Officii (4 mart. 1679, prop 47) damnata fuerit propositio illi contraria. Quare non licet Ordinario paroeciam clerico idoneo conferre, magis ad eam regendam idoneo neglecto.

Prosequitur autem Legislator exponendo elementa, ex quibus cognitis poterit Ordinarius prudens sibi de idoneitate iudicium efformare. Primum elementum in doctrina consistit. Alterum in bonis moribus, prudentia atque zelo animarum (cfr. comm. ad can. 453, n. 2), quae ad quamcumque paroeciam regendam requiruntur. Tertium elementum in iis peculiaribus qualitatibus consistit, quae peculiaribus necessitatibus suscipiendae paroeciae respondent. Et hae qualitates tam variae sunt quam rerum ac personarum adiuncta.

Denique, quis sit modus tenendus ab Ordinario, ut elementa supra descripta cognoscat, Legislator edicit. Et haec explicatione non indigent. Breviter igitur, salvo consensu examinatorum synodalium, totum negotium Ordinarii conscientiae committitur, qui, pro rerum adiunctis, magis huius quam illius qualitatis rationem habebit.

Quocirca praetereunda non est responsio a Pont. Commissione, Codici authentice interpretando praepositae, die 24 nov. 1920 data : per quam examini, de quo in hoc canone, subiiciendus est clericus quilibet iam de paroecia provisus, toties quoties de nova paroecia providendus erit, si translatio ad instantiam parochi fiat, nisi Ordinarius cum examinatoribus synodalibus iudicet idoneitatem adhuc perdurare eamque esse sufficientem ad novam paroeciam ; secus, si translatio fiat proponente ac suadente Ordinario. Ex adverso autem eidem examini minime subiiciendus est parochus remotus a paroecia, qui, ad normam can. 2154 aut *ex officio* ad normam can. 2162-2167, transfertur ad aliam paroeciam. Quod si clericus, quem Ordinarius idoneum putat, nolit examini, de quo supra, subiacere et examen sit ad translationem necessarium, ad S. Congr. Concilii recurrendum est.

Et veniamus ad legem concursus. *Cum illud semper plurimum formidaverit Ecclesia catholica*, ait Benedictus Pp. XIV (const. *Cum illud*, 14 dec. 1742), *ne indignis quibusque et extra sacerdotale meritum constitutis, cura animarum..... crederetur :..... hinc canonicis sanctionibus ac praesertim sanctae Tridentinae Synodi decretis provide consultum est, regimen ecclesiarum parochialium iis esse committendum, quorum omnis aetas, a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per disciplinae ecclesiasticae stipendia ita cucurrisset, ut de illorum supra alios provectione ac potiori doctrinae, morum ac diuturni laboris suffragio nefas esset dubitare..... Ad tramitem idcirco eiusdem sanctae Synodi, usu receptum est, occurrente parochialis ecclesiae vacatione, quae libere ab Ordinario conferenda sit, concursum institui, ut, habita in eo de cuiuslibet aetate, moribus, doctrina et sufficientia solerti inquisitione, Episcopus eligat quem ceteris magis idoneum iudicaverit.* Hae origines et natura legis concursus.

At lex huiusmodi non ubique terrarum, aut saltem non eodem modo recepta est : quare forma concursus (sive generalis, nempe multorum concurrentium ad paroecias quamprimum vacaturas ; sive specialis, nempe concurrentium ad paroeciam iam vacantem) est tantummodo servanda in regionibus, in quibus viget (§ 4). Alibi servanda est forma in canone antea descripta.

Sed etiam in regionibus, in quibus paroeciarum provisio fit per concursum, haec forma adhibenda non est, nisi agatur de paroecia liberae collationis, ut Benedictum Pp. XIV nuper animadvertisse vidimus : siquidem, si cui legitime, ad normam can. 455 § 1, ius competat parochum eligendi aut praesentandi, privilegium huiusmodi ad nihilum fere redigeretur, nisi electio vel praesentatio libera omnino esset. Unde Pont. Commissio C. i. p., die 12 nov. 1922 rogata respondit, *ad normam can.* 1462 *paroecias aliave beneficia, iuri patronatus laicalis subiecta, tum tantum conferri debere per concursum, cum huic obnoxia sunt iure particulari, veluti fundationis aut legitimae consuetudinis* : tum namque patroni voluntas accessisse cen-

setur. Hoc autem in casu, ex praescripto can. 1457, is, cui ius est instituendi, patronum certiorem facere debet de vacatione beneficii ac de sacerdotibus qui in concursu fuerunt probati.

Praeterea vero adhibenda non est forma concursus, nisi agatur de genuino paroeciali beneficio, canonice erecto, perpetuo atque tum iure tum facto vacanti. Unde legi concursus non subiiciuntur quasi-paroeciae ; neque, quamvis perpetuae, vicariae paroeciales. Denique, ut patet, cessat obligatio legis concursus, cum concurrentes defuerunt.

Can. 460.

§ 1. *Parochus ad normam can.* 156 *unam tantum titulo paroeciam habeat, nisi de paroeciis agatur aeque principaliter unitis.*

§ 2. *In eadem paroecia unus tantum debet esse parochus qui actualem animarum curam gerat, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio.*

1. *Parochus ad normam*, etc. — Cavet can. 156, ne ulli conferantur duo officia inter se incompatibilia, quae nempe simul ab eodem clerico adimpleri nequeant. Imo, ex praescripto can. 188, n. 3, ob tacitam renunciationem ipso iure admissam, vacat facto ipso et sine ulla declaratione officium ecclesiasticum, si clericus aliud officium cum priore incompatibile acceptaverit et eiusdem pacificam possessionem obtinuerit. Cum igitur primae paragraphi huius canonis praescriptum tanquam can. 156 innixum Legislator ediderit, patet duo beneficia paroecialia tanquam incompatibilia esse habenda. Excipitur taxative casus unus : si nempe agatur de paroeciis aeque principaliter unitis. Quod tum contingit, cum ita legitime unitae sunt paroeciae, ut neutra alteri subiiciatur neque in unum corpus coalescant, sed ambae pristinum post unionem titulum, honoris gradum nenon reditus ac privilegia retineant et solum ab uno eodemque clerico regantur (cfr. Fagnanum, cap. *Novit.*, n. 4, *Ne sede vacante* etc.). Hoc in casu parochus plures titulo (idest qua rector proprius, ordinarius ac perpetuus) paroecias regere potest.

2. *In eadem paroecia*, etc. — Vicissim in eadem paroecia plures parochi esse non possunt, qui actualem animarum curam gerant. Contra, plures de facto sunt in paroeciis personae morali ad normam can. 452 pleno iure unitis : tum enim et persona moralis (quae habitualem tantum animarum curam retinet) tanquam parochus habenda est (ibid. § 1), et vicarius paroecialis (qui curam actualem exercet) parochi nomine in iure venit (can. 451, § 2, n. 2). Hoc excepto casu, unus parochus esse debet. Huius autem paragraphi praescriptum, iuxta responsionem Pont. Commissionis C. i. p., die 14 iul. 1922 exhibitam, *nedum* a Legislatore *applicatur paroeciis post Codi-*

cem erigendis, verum etiam paroeciis iam erectis, imo paroeciis, in quibus pluralitas parochorum inducta est non quidem consuetudine aut privilegio, sed legitimo statuto. Legitimum vero statutum in casu esse non potest nisi lex fundationis, quam hic Legislator irremissibiliter subvertit : tanti momenti visa est publicae utilitati unicitas parochorum. Post quae, frustra verba faceremus de vi adiectarum clausularum : nam, excepto iure concordatario (cfr. can. 3), omnia cuiusque generis iura huic paragrapho contraria expresse sublata sunt.

Can. 461.

Curam animarum parochus obtinet a momento captae possessionis ad normam can. 1443-1445; *et ante possessionem, aut in ipso possessionis capiendae actu, fidei professionem edere debet, de qua in can.* 1406, § 1, n. 7.

Officium paroeciale, sicuti quodlibet aliud ecclesiasticum officium, initium facit a capta eiusdem canonica possessione. Quomodo peragenda sit haec possessionis captio, docent can. 1443-1445. Praeterea vero, cum agatur de officio cui cura animarum coniuncta est, tenetur quoque ad paroeciam designatus, sub poena suos non faciendi fructus beneficii (non autem *iura stolae*) imo et beneficii privationis (can. 2403), obligatione emittendi professionem fidei ad normam can. 1046, § 1, n. 7 : inter praecipua namque parochi munera, catechesis reperitur ; est autem ideo introducta professio fidei, uti habet Pius Pp. IV, const. *In sacrosancta*, 13 nov. 1564, *ut Domini grex.... non solum ab apertis rapacium luporum..... insultibus, sed etiam a magis formidolosis pestiferarum vulpecularum domi latitantium insidiis... quantum*, ait Pontifex, *cum Deo possumus,.... praeservemus.*

Can. 462.

Functiones parocho reservatae sunt, nisi aliud iure caveatur :

1. *Baptismum conferre sollemniter;*

2. *Sanctissimam Eucharistiam publice ad infirmos in propria paroecia deferre;*

3. *Sanctissimam Eucharistiam publice aut privatim tanquam Viaticum ad infirmos deferre atque in periculo mortis constitutos extrema unctione roborare, salvo praescripto can.* 397, n. 3, 514, 848 § 2, 938 § 2;

4. *Sacras ordinationes et ineundas nuptias denuntiare; matrimoniis assistere; nuptialem benedictionem impertiri;*

5. *Justa funebria persolvere ad normam can.* 1216;

6. *Domibus ad normam librorum liturgicorum benedicere Sabbato Sancto vel alia die pro locorum consuetudine;*

7. *Fontem baptismalem in Sabbato Sancto benedicere, publicam processionem extra ecclesiam ducere, benedictiones extra ecclesiam cum pompa ac sollemnitate impertiri, nisi agatur de ecclesia capitulari et Capitulum has functiones peragat.*

1. *Functiones parocho reservatae*, etc. — *Mare magnum* quaestionum et litium ingredimur, per quod neque generale decretum S. Rituum Congregationis, 10 dec. 1703 editum, securam viam patefecit. In primis igitur sunt sacrae quaedam functiones, quae parochis et iis qui in iure parochi nomine veniunt (cfr. can. 451 § 2) a iure ita reservantur, ut nemo possit eas licite peragere sine parochi consensu, nisi ab ipso iure vel aliunde (veluti ex consuetudine aut praescriptione) legitimam facultatem habeat, vel agatur de personis atque locis a parochi potestate subtractis, ut statim in specie clarius videbimus.

2. *Baptismum conferre*, etc. — Agitur de baptismate sollemni. Huius minister ordinarius est sacerdos; sed eius collatio reservatur parocho vel alii sacerdoti de eiusdem parochi vel Ordinarii loci licentia, quae in casu necessitatis legitime praesumitur (can. 738, § 1). Haec de liberis incolarum atque advenarum, qui sollemniter baptizandi semper sunt in propria domicilii aut quasi-domicilii paroecia. Sed id etiam dicendum est de liberis peregrinorum *si facile et sine mora* fieri possit (ibid. § 2). At ius sollemniter baptizandi est stricte territoriale: quare in alieno territorio nemini (ne Episcopo quidem) sine debita licentia quoad suos subditos prodest. Extraordinarius baptismatis sollemnis minister est diaconus; qui tamen sua potestate uti non potest sine Ordinarii vel parochi licentia: quae, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur (can. 741). Itaque sollemnis baptismatis collatio parocho ita exclusive reservatur, ut nemo possit in territorio paroeciae sine eius aut Ordinarii consensu illud conferre. Excipitur casus ecclesiae, quae in loco ante Codicem ius fontis habebat exclusivum prae aliis ecclesiis paroecialibus; quod ius per Codicem in cumulativum conversum est (cfr. can. 774, § 1 et Pont. Commiss. C. i. p., 12 nov. 1922). Quod tamen proprie haberi non potest tanquam *iuris paroecialis* deminutio.

3. *Sanctissimam Eucharistiam*, etc. — Agitur de sacrae communionis ad infirmos delatione, quae publica semper esse debet, nisi iusta et rationabilis causa privatam (quae nempe fit sine ullo apparatu ac sine vestibus exterioribus a Rituali praescriptis) suadeat (can. 847). Hanc igitur publicam delationem nemo, intra fines paroeciae, peragere potest sine parochi aut Ordinarii licentia, quae in casu necessitatis legitime praesumitur. Et hoc quoque parochorum ius est stricte territoriale et extenditur ad universos infirmos, etiam peregrinos, in territorio paroeciae degentes. Huc usque de publica SS. Eucharistiae delatione: sed ne privata quidem peragi potest absque parochi licentia, si delatio initium capiat ab ecclesia paroeciali (can. 849, § 1).

4. *Sanctissimam Eucharistiam.... tanquam Viaticum* etc. — Supra actum est de sacra communione sive ex devotione sive ad implendum paschale praeceptum infirmis publice deferenda ; hic agitur de eadem deferenda tanquam Viaticum infirmis in periculo mortis constitutis. Quod idem non est : nam ultimorum sacramentorum administratio ad parochum, cui cura animarum habitualiter spectavit, peculiari ratione pertinet ; ideoque hoc in casu nemo licite potest sacrum Viaticum etiam privatim deferre, intra fines paroeciae, sine eius consensu (cfr. can. 850). Excipitur casus Episcopi residentialis decumbentis, cui a Capitulo cathedrali (can. 397, n. 3), necnon clerici religiosi aut monialis (nempe religiosae votorum sollemnium), quibus a Superiore domus aut a confessario sacramenta ministrantur (can. 514, § 1 et 2).

5. *Extrema unctione roborare*, etc. — Modo de sacramento extremae unctionis videamus. Minister ordinarius huius sacramenti est parochus loci in quo degit infirmus ; in casu autem necessitatis, vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos. Excipiuntur vero iidem casus ac de sacro Viatico supra diximus.

6. *Sacras ordinationes*, etc. — Quoad haec nullus excipitur a iure casus, nisi quod ab aliis quoque parochis, praeterquam a parocho proprio contrahentium, matrimoniales publicationes quandoque fiunt (can. 1023, § 2) et quod quandoque necessaria non est ad matrimonii validitatem adsistentia parochi aliusve ab eo vel a loci Ordinario delegati (can. 1098, n. 2, 1099, § 2).

7. *Justa funebria persolvere*, etc. — Haec funebria pertinent ad ecclesiam paroecialem (ideoque ad parochum) defuncti propriam ; et, si plures defunctus habuerit proprias paroecias, ad ecclesiam paroeciae in quo decessit (can. 1216). Idque etiam in dubio de iure alius ecclesiae non propriae (can. 1217), imo si extra propriam quoque paroeciam mors acciderit, nisi commode pedestri itinere ad eam cadaver deferri non possit et familia defuncti maiores translationis expensas suscipere detrectet (can. 1218). Haec generalis regula, cui tamen plures sunt exceptiones. Scilicet si agatur de S. R. E. Cardinali qui in Urbe decesserit, ecclesiam funeris R. Pontifex designat ; si extra Urbem, est ecclesia insignior civitatis aut loci, ubi Cardinalis est vita functus. Si agatur de Episcopo residentiali, Abbate vel Praelato *nullius*, ecclesia funeris a iure designata est ecclesia cathedralis, abbatialis vel praelatitia, si id commode fieri possit : secus ecclesia insignior, uti supra (can. 1219). Si agatur de beneficiariis residentialibus, ecclesia funeris est ecclesia ubi beneficium habuerant. Si agatur de religiosis, ecclesia funeris est ecclesia eorum domus vel saltem religionis, nisi eo commode deferri non possint et eorum Superiores maiores translationis expensas suscipere detrectent. Idemque dicendum est de famulis actu servientibus ac intra domus religiosae septa stabiliter com-

morantibus, si in domo, non extra, decesserint (can. 1221). Tandem, si agatur de iis qui in Seminario moriuntur, parochi officium pertinet ad Seminarii rectorem eiusve delegatum (can. 1368). Hae exceptiones a iure statutae. Sed praeterea potest quis eligere ecclesiam funeris (can. 1223), exceptis impuberibus et religiosis professis (can. 1224). Hisce omnibus in casibus ius parochi iusta funebria persolvendi, vel omnino evanescit vel saltem minuitur (cfr. can. 1230 et 415, § 2, n. 3).

8. *Domibus ad normam librorum* etc. — Agitur de benedictione paschali domorum, quae semper exclusione ad parochum pertinet eiusve delegatum.

9. *Fontem baptismalem* etc. — Publicam processionem extra ecclesiam is ducere dicitur, qui, per propriam crucem hastilem ante processionem delatam et consequentem definitionem itineris, processioni praeesse videtur. Intra fines autem paroeciae id parocho competit, etiam si processio initium faciat ab ecclesia non filiali quae proprium habeat rectorem (Pont. Commissio C. i. p., 12 nov. 1922), imo si ab ecclesia religiosorum etiam exemptorum (ead. Commissio, 1 dec. 1925), excepta processione eucharistica a religiosibus facienda infra octavam *Corporis Christi* (can. 1291, § 2). Quoad benedictiones vero ius parochi extenditur tantummodo ad benedictiones Episcopo aliisve non reservatas atque extra ecclesiam cum pompa ac sollemnitate impertiendas : nam sollemnes intra ecclesiam rector, privatas autem quilibet presbyter impertiri potest (cfr. can. 1147, § 2). Praeterea vero, si agatur de ecclesia capitulari simul ac paroeciali, ius benedictiones atque processiones, de quibus hoc in commate, peragendi, tum tantum ad parochum (non ad alios) devolvitur, cum Capitulum easdem non peragit.

Can. 463.

§ 1. *Jus est parocho ad praestationes quas ei tribuit vel probata consuetudo vel legitima taxatio ad normam can.* 1507, § 1.

§ 2. *Potiores exigens, ad restitutionem tenetur.*

§ 3. *Licet, paroeciale aliquod officium ab alio fuerit expletum, praestationes tamen parocho cedunt, nisi de contraria offerentium voluntate certo constet circa summam quae taxam excedit.*

§ 4. *Gratuitum ministerium ne deneget parochus iis qui solvendo pares non sunt.*

Praeter fructus beneficii paroecialis (cfr. can. 1410) ius est parocho ad praestationes quasdam, quae etiam *iura stolae* vocantur, quaeque obveniunt ob functiones sacras vel occasione administrationis sacramentorum atque sacramentalium et, secus ac beneficii fructus, in absolutum dominium parochi cedunt. Huiusmodi praestationes legitime definitae esse de-

bent, nempe a locorum Ordinariis, particularium consuetudinum et circumstantiarum habita ratione (can. 1234), exceptis taxis exigendis occasione administrationis sacramentorum et sacramentalium, quae a Concilio provinciali aut a conventu Episcoporum provinciae definiendae sunt (can. 1507, § 1). Quae si legalis definitio defuerit, consuetudini probatae standum est. Jam vero parochus non potest plus exigere, quam sit legitime definitum ; et si exegerit, ad restitutionem tenetur : quare censendus est tum parochus obligationi iustitiae contrafecisse.

Jura stolae tum quoque parocho cedunt, cum officium, ob quod debentur, ab alio expletum est, etiamsi plus sponte sit praestitum, quam erat legitime taxatum. Unus casus excipitur, quod nempe plus offeratur et certo constet, voluisse oblatorem id quod taxam excedit ei qui officium explevit tribuere. Praeterea, nisi ius particulare aliud statuerit, debetur parocho proprio defuncti *quarta funeraria* seu portio paroecialis, quoties fidelis non funeratur in ecclesia propria alia de causa, quam quod ad eam commode deferri non potuerit (can. 1236).

Denique tenet parochum praeceptum grave, nempe non denegandi gratuitum ministerium iis qui solvendo pares non sunt.

CAN. 464.

§ 1. *Parochus ex officio tenetur curam animarum exercere in omnes suos paroecianos, qui non sint legitime exempti.*

§ 2. *Potest Episcopus iusta et gravi de causa religiosas familias et pias domos, quae in paroeciae territorio sint et a iure non exemptae, a parochi cura subducere.*

1. *Parochus ex officio tenetur* etc. — Parochorum potestas cuius naturae sit videamus. Scilicet habet parochus potestatem ordinariam, ipsi officio ex iuris dispositione coniunctam, imo a natura officii necessario defluentem, fideles sibi commissos *pascendi* per publicum magisterium atque administrationem sacramentorum. Unde quaeri potest, utrum haec potestas sit dominativa tantum an potius iurisdictionalis. Et respondendum videtur, nihil in parochis esse genuinae iurisdictionis ecclesiasticae : nulla nempe in eis potestas legislativa aut iudicialis aut coactiva, sed potius potestas quaedam paterna, potestati Superiorum religionum non exemptarum aequiparanda, per quam, ad privatam subditorum utilitatem, multa agunt, quae in ambitu ecclesiasticae iurisdictionis materialiter continentur, sed, formali ratione deficiente, ad iurisdictionem minime spectant. Per hanc itaque potestatem tenetur parochus curam animarum ex officio exercere in paroecianos non exemptos. Quocirca animadvertendum est, non agi hic de religionibus exemptis, quorum sodales paroecianorum

nomine venire non possunt, sed ad summum de exemptione religionum ac Seminariorum, quae, quamvis exempta non sint a iurisdictione Ordinariorum, exempta tamen sunt a parochi potestate ; vel potius et imprimis de personis moralibus, quas Ordinarius, non autem ius commune, a parochi potestate subtraxerit.

2. *Potest Episcopus iusta et gravi*, etc. — Religiosae familiae de quibus secunda haec canonis paragraphus, esse possunt religiones laicales iuris pontificii, in quorum commodum potest Ordinarius, ut ait expresse can. 514, § 3, cappellanum parocho sufficere, necnon religiones iuris dioecesani. Piae vero domus sunt hospitalia, orphanotrophia et aliae huiusmodi. Has potest Ordinarius iusta et gravi de causa a parochi cura subducere.

Can. 465.

§ 1. *Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam ; loci tamen Ordinarius potest iusta de causa permittere ut alibi commoretur, dummodo domus ab ecclesia paroeciali non ita distet ut paroecialium perfunctio munerum aliquid inde detrimenti capiat.*

§ 2. *Eidem abesse permittitur per duos ad summum intra annum menses sive continuos sive intermissos, nisi gravis causa, iudicio ipsius Ordinarii, vel diuturniorem absentiam requirat vel breviorem tantum permittat.*

§ 3. *Dies quibus parochus piis exercitiis vacat ad normam can.* 126, *non computantur, semel in anno, in duobus vacationum mensibus, de quibus in* § 2.

§ 4. *Sive continuum sive intermissum sit vacationum tempus, cum absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus, praeter legitimam causam, habere debet Ordinarii scriptam licentiam et vicarium substitutum sui loco relinquere ab eodem Ordinario probandum ; quod si parochus sit religiosus, indiget praeterea consensu Superioris et substitutus tum ab Ordinario tum a Superiore probari debet.*

§ 5. *Si parochus repentina et gravi de causa discedere atque ultra hebdomadam cogatur abesse, quamprimum per litteras Ordinarium commonefaciat, ei indicans causam discessus et sacerdotem supplentem, eiusque stet mandatis.*

§ 6. *Etiam pro tempore brevioris absentiae parochus debet fidelium necessitatibus providere, maxime si id peculiaria rerum adiuncta postulent.*

Parochi officium residentiale est natura sua. Tanti vero Legislator parochorum residentiam facit, quod materiam diligentissime definit, ita ut nihil iam supersit quod pendeat a parochi arbitrio. Quare etiam nulla canon explicatione indigere videtur. Illud tantummodo animadvertendum, Pont. Commissionem C. i. p., rogata cum esset de potestate vicarii substituti ac supplentis, de quibus in paragrapho 4 et 5, huius canonis, die

14 iul. 1922 respondisse : *Vicarius substitutus, de quo in can.* 465, § 4, *potest, post Ordinarii approbationem licite et valide assistere matrimoniis, si nulla limitatio apposita fuerit ; vicarius vero supplens, de quo in eod. canone* § 5, *etiam ante approbationem, quoadusque Ordinarius, cui significata fuerit designatio vicarii supplentis, aliter non statuerit. Denique vicarius substitutus parochi religiosi potest id agere post approbationem quidem Ordinarii, sed ante approbationem Superioris religiosi.*

CAN. 466.

§ 1. *Applicandae Missae pro populo obligatione tenetur parochus ad normam can.* 339, *quasi-parochus ad normam can.* 306.

§ 2. *Parochus qui plures forte paroecias aeque principaliter unitas regat aut, praeter propriam paroeciam, aliam vel alias in administrationem habeat, unam tantum debet Missam pro populis sibi commissis diebus praescriptis applicare.*

§ 3. *Ordinarius loci iusta de causa permittere potest ut parochus Missam pro populo alia die applicet ab ea qua iure adstringitur.*

§ 4. *Parochus Missam pro populo applicandam celebret in ecclesia paroeciali, nisi rerum adiuncta Missam alibi celebrandam exigant aut suadeant.*

§ 5. *Legitime absens parochus potest Missam pro populo applicare vel ipse per se in loco in quo degit, vel per sacerdotem qui eius vices gerat in paroecia.*

1. *Applicandae Missae pro populo* etc. — Radix atque fundamentum obligationis Missae pro populo applicandae consistit, uti antea vidimus (cfr. comm. ad can. 339 et 306), in facto quo clericus libere ac legitime suscipit curam spiritualem populi determinati tanquam proprius eiusdem pastor (cfr. can. 216 § 1) : inde enim defluit, uti pars nobilissima suscepti muneris, naturalis ex iustitia obligatio pro ovibus sibi concreditis orandi ac proinde s. sacrificium offerendi (cfr. Conc. Trid., sess. XXIII, *de ref.*, c. 1). Quae quidem oblatio, iuxta mentem S. Congr. Concilii (23 apr. 1853), habenda est tanquam *praecipua functio parochialis*. Ad rem eadem S. Congregatio (13 iul. 1918) : *Obligatione Missae pro populo beneficiarii quidam non ratione beneficii, nempe bonorum seu reddituum, tenentur, sed ratione officii, per quod quis sit proprius pastor determinati gregis. Quare Episcopi ad id tenentur ex iure divino absoluto ; ceteri vero, idest parochi atque vicarii, etsi curam actualem tantummodo exercentes vel ad breve tempus deputati vel etiam amovibiles « ad nutum », ex iure divino hypothetico, nempe quod, praeter Episcopos, eis quoque hoc munus Ecclesia commiserit, quod commiserit obligatorie, denique quod commiserit sine exclusione obligationis Missam pro populo applicandi. Hinc etiam constat, obligationem huiusmodi pari quodam*

gressu procedere cum ecclesiastici territorii in distinctas partes distributione, per quam hypotheses indicatae ad effectum praecise deducuntur. Imo, ut subdit S. Congregatio (ibid.), *distincta pars territorii dioecesis hierarchice constitutae, cui assignata sit sua peculiaris ecclesia cum populo delerminato, quamvis inter acatholicos disperso, suusque peculiaris rector, tanquam proprius eiusdem pastor, pro cura animarum: etsi «stationis» nomine forte vocatur, paroeciae tamen iure censetur.* Tunc itaque ex iure communi obligatio exurgit Missam pro populo applicandi, sive reditus beneficii pingues fuerint, sive tenues, sive nulli (S. Congr. Conc., 30 iul. 1766) et contraria consuetudine reprobata (ead. Congr., 23 apr. 1853), cum haec adsunt elementa substantialia : — 1) populus a competenti auctoritate ecclesiastica determinatus ; — 2) clericus ab eadem auctoritate legitime designatus, tanquam proprius eiusdem pastor, pro necessaria actuali animarum cura. Non autem tandem aliquando populus *determinari* potest, nisi per circumscriptionem territorialem. Quoties igitur haec deest ; quoties (veluti in vicariis coadiutoribus — cfr. can. 350 seq., 475, § 2 — vel cooperatoribus — cfr. can. 476 § 6 — vel substitutis — cfr. can. 474) clericus non quidem tanquam proprius pastor designatur, sed potius in proprii pastoris auxilium, nulla tunc obligatio Missam pro populo applicandi. Videamus igitur quinam de iure hoc onere teneantur. Nempe praeter Episcopos, Abbates ac Praelatos *nullius*, Administratores Ap., sede vacante, Vicarios et Praefectos Ap. atque Vicarios capitulares, de quibus antea egimus, obligatione tenentur pro populo celebrandi parochi, tum inamovibiles tum amovibiles *ad nutum*, quasi-parochi, vicarii actuales (cfr. can. 471, § 4) ac vicarii oeconomi (cfr. can. 473, § 1). Quocirca praetereundum non est, iisdem Legislatorem verbis de parochis et quasi-parochis loqui : *applicandae Missae pro populo obligatione tenetur parochus.... quasi-parochus* etc. Quod quidem novum in iure prima fronte videtur : nam usque ad promulgationem Codicis valebat responsum a S. Congr. de Prop. Fide 18 aug. 1866 datum, nempe quoad Praesules missionum atque missionarios *vitandam esse locutionem « teneri ex charitate »* (idest ad Missam pro populo applicandam), *dicendum vero esse « decere ex charitate », idque ita ut nulla proprie dicta obligationis significatio appareat.* Ex adverso Codex ait : *obligatione tenetur ;* et can. 306 : *applicare debent :* idest, secus ac alias existimavimus, ex iustitia. Sed nulla de facto, quoad quasi-parochos, si res profundius consideretur, iuris immutatio introducta est, nisi quod per can. 216 § 2 praeceptum est missionum Praesulibus territorium sibi subiectum dividendi, *ubi commode fieri possit*, in partes undique circumscriptas, quae, *si peculiaris rector iisdem fuerit assignatus*, quasi-paroeciae appellarentur. Quod si factum fuerit, patet in rectoribus huiusmodi, seu *quasi-parochis*, introducta territoriali circumscriptione, idest existentibus elementis omnibus ad paroeciam constituendam requisitis, Missae pro populo obbligationem exurgere. At haec om-

nia hypothetica sunt et iuris veteris principiis apprime consentanea. Ubi igitur quasi-parochi de facto extant, hi iure parochorum censentur, ac proinde ad Missam pro populo applicandam aequa obligatione tenentur. Unum interest discrimen, ex eo probabiliter derivatum quod territorialis missionum circumscriptio quid iniziale atque precarium iugiter praesefert; dum parochi ad Missam pro populo tenentur ad normam can. 339, idest omnibus diebus dominicis et festis etiam suppressis (cfr. comm. ad can. 339, n. 2), quasi-parochi ad eandem tenentur ad normam can. 306, idest undecim tantummodo diebus per universum totius anni curriculum, perinde ac missionum Praesules, qui et ipsi, postquam vicariatuum quoque atque praefecturarum apostolicarum territoria nostris hisce temporibus accuratius circumscripta sunt, ad Missam pro populo applicandam per Codicem obbligantur.

2. *Parochus qui plures forte* etc. — Ante promulgationem Codicis parochus plurium paroeciarum, quae unitae essent aeque principaliter, tot Missas pro populo applicare tenebatur, quot erant paroeciae. Unde S. Congr. Concilii, rogata an parochi duabus ecclesiis paroecialibus praepositi tenerentur in unaquaque ecclesia Missam, sive per se (nempe impetrata facultate iterandi) sive per alium, pro populo applicare, die 12 mart. 1774 respondit: *Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva*: nam, ut postea (20 aug. 1785) eadem S. Congregatio explicavit, *si plures ecclesiae extinctive uniantur... destruitur per dictam unionem paroecia quae extinguitur, neque amplius populum et parochum habet, ita ut absurdum esset inquirere, an in ea ulla vigeat obligatio Missae pro populo applicandae. Verum, si unio subiectiva est, multoque magis si aeque principaliter, tunc sicuti antiquus populus et antiqua paroecia existunt, ita vigere quoque praeceptum debet applicationis Missae pro populo.* Haec sub imperio veteris iuris. Ex adverso in Codice conficiendo aliud principium praevaluisse videtur, praeter studium prioris disciplinae quo fieri posset emolliendi, in mente Legislatoris: videlicet quo usque parochus plures de facto paroecias rexerit, sive omnes habeat in titulum sive omnes aut aliquas in administrationem, uti contingere potest in parochis amovibilibus *ad nutum*, in quasi-parochis atque vicariis oeconomis (cfr. respons. Pont. Commiss. C. i. p., 14 iul. 1922), earum paroeciarum singulares populos fieri de facto quoad paroeciale ministerium populum unum: ideoque unam esse Missam pro populo universo celebrandam. Quod etiam, parallele, de Episcopis aliisque clericis Episcopis aequiparatis eorumque dioecesibus statutum est (cfr. can. 339 et 306).

3. *Ordinarius loci iusta de causa* etc. — Missa pro populo celebrari debet eo die quo cadit. Excipitur casus quo quis eodem die teneatur ad Missam pro populo et simul conventualem celebrandam: tum enim illa vel per alium celebranda est, vel alio die (can. 419 § 2). Item excipitur casus

infirmitatis, relegationis, periculi aliique huiusmodi. Praeterea vero Ordinario loci a iure fit dispensandi facultas, sive ad actum sive habitualiter. Haec tamen facultas non est arbitraria, sed iusta causa, ut exerceatur, requirit. Justa causa in hoc posita esse potest, quod is qui ad Missam pro populo tenetur ex. g. exercitia spiritualia tum peragat, Missas Gregorianas celebret, alio die stipendio careat vel, si paupertate laboret, non sit ita pingue quam quod die festo vel dominico offertur. Dispensatio autem ad actum, iusta causa intercedente, semper praesumi posse videtur. Debetque parochus Missam pro populo celebrare per se, nisi necessitas aut rationabilis causa adsit celebrandi per alium (cfr. S. Congr. Conc., 17 dec. 1803 etc.). Insuper, hic quoque tenent quae de obligatione Episcopi Legislator edicit can. 339, §§ 2 et 3, nempe : *In festo Nativitatis Domini, et si quod festum de praecepto in diem dominicam incidat, satis est ut Missam unam pro populo applicent. Si festum ita transferatur ut in die « ad quem » non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die « ad quem » ; secus in die « a quo »*. Scilicet Legislator rationem praecipue habuit de obligatione sacrum audiendi, quam, si adest, obligationem semper sequitur obligatio pro populo hoc vel illo die celebrandi. Unde, si agatur de festis suppressis, quibus nulla inest obligatio audiendi sacrum, semper Missa pro populo applicanda est in die *a quo*. Quid autem, si dies *a quo* sit aliturgicus, veluti cum festum Annunciationis B. M. V. incidit in feriam VI *in Parasceve* ? Tum neque in die *a quo*, quia impossibile ; neque in die *ad quem* Missa applicanda est, quia *dies transit cum onere suo* (S. Congr. Rituum, 20 mart. 1706 et 10 dec. 1773).

4. *Parochus Missam pro populo* etc. — Missa pro populo applicari debet in ecclesia paroeciali aut quasi-paroeciali, et quidem hora populo congrua et opportuna (S. Congr. Conc., 23 apr. 1853). Et si ad hanc Missam obligatus legitime absit, S. Congr. Concilii censuit (14 dec. 1872) eum *satisfacere suae obligationi Missam applicando pro populo suo in loco ubi degit, dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet.* Sed ea esse possunt rerum adiuncta, quae alibi celebrandum exigant aut suadeant : nempe exigunt, si ex. c. ecclesia paroecialis collapsa fuerit aut ruina imminet aut reparationes fiant, vel si fuerit interdicta ; suadent, si ex. c. populus eo die ex consuetudine frequentior conveniat in ecclesia filiali aut in sanctuario intra fines paroeciae sito.

Can. 467.

§ 1. *Debet parochus officia divina celebrare, administrare sacramenta fidelibus, quoties legitime petant, suas oves cognoscere et errantes prudenter corrigere, pauperes ac miseros paterna caritate complecti, maximam curam adhibere in catholica puerorum institutione.*

§ 2. *Monendi sunt fideles ut frequenter, ubi commode id fieri possit, ad suas paroeciales ecclesias accedant ibique divinis officiis intersint et verbum Dei audiant.*

1. *Officia divina celebrare.* — In primis ius est fidelibus adsistendi in propria ecclesia paroeciali seu quasi-paroeciali divinis officiis : unde consequitur parochi obligatio ea ibidem celebrandi. Sed quid nomine divinorum officiorum ? Sunt haec *functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt* (can. 2256, § 1). Functiones autem huiusmodi, ad parochos quod attinet, diligentissime describuntur in Missali atque Rituali romano, et iure communi vel particulari moderantur. Quidquid igitur hac in re est a iure praeceptum, parochus adamussim servare debet.

2. *Quoties legitime petant.* — Deinde fidelibus ius est legitime petendi a proprio parocho administrationem sacramentorum. Quocirca Wernz-Vidal (*Jus canonicum*, II, n. 736, V) merito ait : *Quae obligatio est personalis parochi, ideoque ab ipso quantum fieri possit personaliter praestanda, praecipue si nominatim a fidelibus requiratur ; nec totum hoc munus aliis presbyteris, v. gr. vicariis aut substitutis, committere potest* (S. Congr. Conc., 16 sept. 1645 et 20 iun. 1776), *licet in foro externo vix fieri poterit, ut puniri possit qui huiusmodi obligatione plene per alios satis faciat, saltem sine praecedenti monitione canonica. Quod petitio fidelium sit necne legitima haud parum pendet ab usu et consuetudine locorum. In rigore solus indignus sacramenta petit illegittime; et quoad sacramenta quorum administratio pertinet ad functiones paroeciales, tum solum illegitime petuntur, cum aut ius non habeat ea ministrandi aut ab illis ministrandis prohibeatur. Generatim tamen petitio fidelium censetur legitima et rationabilis, non solum si fidelis ex praecepto sacramenta suscipere teneatur aut ex necessitate consulendi conscientiae sacramento indigeat, sed etiam si ex mera devotione ob utilitatem seu profectum spiritualem ad sacramenta velit accedere.*

3. *Monendi sunt fideles* etc. — Haec monitio praescripta est a Conc. Tridentino (Ses. XXII, decr. *De observ. et evitand. in celebr. Missae*) hisce verbis : *Moneant* (nempe *ordinarii locorum episcopi*) *etiam eundem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et maioribus festis, accedant.* Codex vero ab Episcopo in parochos monendi obligationem transfert. Utcumque monitio huiusmodi naturam suam non mutat : scilicet consilium est, non praeceptum, ita ut, excluso contemptu parochi, in qualibet ecclesia impleri possit praeceptum Missam audiendi ; neque possit Episcopus cogere subditos ut Missae paroeciali intersint, cum nequeat delere consuetudinem, quae, uti vigens toto orbe, naturam iam induit iuris communis (cfr. S. Congr. Conc., 28 febr. 1761).

Can. 468.

§ 1. *Sedula cura et effusa caritate debet parochus aegrotos in sua paroecia, maxime vero morti proximos, adiuvare, eos sollicite Sacramentis reficiendo eorumque animas Deo commendando.*

§ 2. *Parocho aliive sacerdoti qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis, secundum formam a probatis liturgicis libris traditam, quam benedictionem impertiri ne omittat.*

Usque ad promulgationem Codicis i., c. facultas concedendi benedictionem apostolicam *in articulo mortis* nemini ex iure competebat ; sed eam Episcopi ab Ap. Sede impetrari debebant et parochis aliisve subdelegare.

Can. 469.

Parochus diligenter advigilet ne quid contra fidem ac mores in sua paroecia, praesertim in scholis publicis et privatis, tradatur, et opera caritatis fidei ac pietatis foveat aut instituat.

Ex praescripto can. 1381, § 2, Ordinariis locorum ius et officium est vigilandi, ne in quibusvis scholis sui territorii quidquam contra fidem vel bonos mores tradatur aut fiat. Ex canone vero 1382, iidem Ordinarii, sive ipsi per se sive per alios, possunt quoque scholas quaslibet, in iis quae ad religiosam et moralem institutionem spectant, visitare. Quae Episcoporum iura atque officia in dubium a nemine revocari possunt: habent namque Episcopi divinum mandatum tum positivum, nempe populum fidelem sibi concreditum in fide atque christianis moribus instituendi, tum negativum, nempe quibuscumque modis honestis dandi operam diligentissimam, ut et fides et christiani mores sarti tectique serventur. Inde in parochis et in clericis parochis aequiparatis ius et officium invigilandi a iure statutum ; inde etiam quandoque officium atque ius delegatum *ab homine*, nempe a loci Ordinario, visitandi scholas quaslibet, sive eae ab Ecclesia erectae fuerint sive a laica potestate, sive publicae sint sive privatae.

Can 470.

§ 1. *Habeat parochus libros paroeciales, idest librum baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum ; etiam librum de statu animarum accurate conficere pro viribus curet ; et omnes hos libros, secundum usum ab Ecclesia probatum vel a proprio Ordinario praescriptum conscribat ac diligenter asservet.*

§ 2. *In libro baptizatorum adnotetur quoque si baptizatus confirmationem receperit, matrimonium contraxerit, salvo praescripto can.* 1107, *aut sacrum subdiaconatus ordinem susceperit, vel professionem sollemnem emiserit, eaeque adnotationes in documenta accepti baptismatis semper referantur.*

§ 3. *In fine cuiuslibet anni parochus authenticum exemplar librorum paroecialium ad Curiam episcopalem transmittat, excepto libro de statu animarum.*

§ 4. *Paroeciali utatur sigillo habeatque tabularium, seu archivum, in quo memorati libri custodiantur una cum Episcoporum epistolis, aliisque documentis, necessitatis vel utilitatis causa servandis ; quae omnia, ab Ordinario vel eius delegato visitationis vel alio opportuno tempore inspicienda, religiose caveat ne ad extraneorum manus perveniant.*

1. *Habeat parochus*, etc. — Cum parochorum ministerio, immediato vel mediato, aut saltem cura et auxilio locum habeant actus qui sollemniores sunt quoad statum iuridicum fidelium ; cumque eorum expediat authenticam memoriam servare, ut, quoties rerum adiuncta postulaverint, positi actus fides publica ex officio fieri possit (cfr. can. 1813, § 4) : inde in parochis, atque in iis qui parochis iure aequiparantur, officium notarii cum consequente obligatione habendi ac diligenter asservandi libros paroeciales ; inde etiam lex poenalis can. 2383 contenta, per quam *parochus, qui paroeciales libros diligenter, ad normam iuris, non conscripserit aut servaverit* puniri debet a proprio Ordinario pro culpae gravitate.

2. *Paroeciali utatur sigillo*, etc. — Est parochus, qua notarius, pro negotiis ad suum officium pertinentibus testis qualificatus ; authenticitas vero exhibiti testimonii in documentis ecclesiasticis ex sigillo praesertim constat : hinc in parochis ius atque obligatio utendi sigillo officii paroecialis.

3. *Aliisque documentis*, etc. — Veluti ex. c. tabella onerum ex piis fundationibus incumbentium (can. 1549, § 1) ; documenta atque instrumenta, quibus ecclesiae ac beneficii paroecialis iura nituntur (cfr. can. 1523, n. 6) ; inventarium bonorum ac rerum omnium ad eandem ecclesiam et beneficium pertinentium (cfr. can. 1522, § 2), etc.

4. Officium paroeciale amittitur omnibus modis quibus amitti possunt alia officia ecclesiastica (cfr. comm. ad can. 183-195). Praeterea vero per remotionem, de qua can. 2147-2161 et 2182-2185, necnon per translationem, de qua can. 2162-2167.

CAPUT X.

DE VICARIIS PAROECIALIBUS.

Can. 471.

§ 1. *Si paroecia pleno iure fuerit unita domui religiosae, ecclesiae capitulari vel alii personae morali, debet constitui vicarius, qui actualem curam gerat animarum, assignata eidem congrua fructuum portione, arbitrio Episcopi.*

§ 2. *Excepto casu tum legitimi privilegii aut consuetudinis, tum dotationis vicariae ab Episcopo factae, reservata sibi libera nominatione, vicarium praesentat Superior religiosus, Capitulum, aliave persona moralis ; loci autem Ordinarius eundem, si idoneum, servato praescripto can.* 459, *repererit, instituat.*

§ 3. *Vicarius si sit religiosus, est amovibilis sicut parochus religiosus de quo in can.* 454, § 5 ; *ceteri omnes vicarii ex parte praesentantis sunt perpetui, sed ab Ordinario possunt, ad instar parochorum, removeri, monito eo qui praesentavit.*

§ 4. *Ad vicarium exclusive pertinet tota animarum cura cum omnibus parochorum uribus et obligationibus ad normam iuris communis et secundum probata statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines.*

1. Quae semper viguit in Ecclesia praxis, nempe vicarium sufficiendi clerico qui officio suo ecclesiastico quomodocumque ita defuerit, ut inde officii cura detrimentum patiatur, exortis paroeciis ad officium quoque paroeciale extensa est. Contingere autem potest ut parochus desit officio suo ex eo, quod non sit persona physica sed moralis, cui paroecia unita fuerit pleno iure et tunc qui vices parochi gerit *vicarius perpetuus* seu *curatus* seu *actualis* (cfr. Cod. Index analyt.-alphab., verbo *Vicarius*) appellatur. Item contingere potest quod desit ex eo, quod paroecia vacat (can. 472) : et tunc *vicarius aeconomus ;* vel ex eo quod parochus a sua residentia absit ultra hebdomadam (can. 465, § 4) : et tunc *vicarius substitutus ;* vel ex eo quod parochus, ob senectutem aliamve causam personalem permanentem, suis muniis rite obeundis impar evaserit (can. 475, § 1) : et tunc *vicarius adiutor ;* vel denique ex eo, quod impar evaserit propter populi multitudinem aliamve causam non personalem (can. 476, § 1) : et tunc qui plus minusve gerit parochi vices *vicarius cooperator* dicitur. De singulis hisce vicariis singillatim agit Legislator : et primum de vicario actuali.

2 *Si paroecia pleno iure*, etc. — Tunc, uti supra vidimus (cfr. comm. ad can. 452), paroecia personae morali pleno iure unita dicitur, cum ea sunt erec ionis adminicula, quibus eadem moralis persona eius paroeciae

parochus genuinus appareat et extet. Cumque persona moralis, si collegialis, minus apta ; si vero non collegialis prorsus inepta videatur ad officium paroeciale actu exercendum, inde Conc. Tridentinum (Sess. VII, cap. 7, *de reform.*) iussit ab Ordinariis locorum hoc in casu sollicite esse providendum, *ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur,..... ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur.* Quae iussio deinde ex conditionali absoluta effecta est, ita ut Ordinarii a vicarium actualem nominandum semper in casu teneantur.

3. *Congrua fructuum portione,* etc. — Fructuum portio vicario actuali ab Ordinario assignanda est suo quidem arbitrio, ita tamen ut congrua censeri possit. Ad rem Clemens Pp. XIV (ep. encycl. *Inter multiplices*, 21 sept. 1742 § 9) : *Quod si sermo sit de cathedralibus vel collegiatis ecclesiis... quarum cura vel apud Episcopos vel apud respectiva Capitula... a quibus ea exerceri solet per vicarios,... fraternitatibus vestris mandamus, ut eam vicariis praedictis congruam assignetis portionem, quae satis esse possit apte decenterque alendis iisdem non modo vicariis, verum etiam auxiliaribus sacerdotibus..... et quae tum respondeat oneribus aliisque quae ii subire coguntur, tum quoque cathedralis ecclesiae parochum maxime deceat.*

4. *Excepto casu*, etc. — Collatio officii vicarii actualis, ex iure communi, fieri debet per praesentationem candidati ex parte personae moralis, cui paroecia pleno iure unita est, ac per consequentem institutionem canonicam, ab Ordinario concessam ad normam iuris ac praesertim servato praescripto can. 459 de modo investigandi circa candidati idoneitatem. Ita ratio habetur personae moralis, cui originarie competunt iura paroecialia universa : ea nempe persona, cum per se officium paroeciale exercere non possit, per alium exercet, veluti per fiduciarium a se designatum. Attamen, sicuti de quibuslibet iuribus contingere potest, eo iure persona moralis quandoque caret. Idque fieri potest tribus modis a Legislatore taxative enumeratis. Primum, si legitimum privilegium Episcopo suffragaverit in favorem liberae collationis: quod quidem privilegium, uti patet, non potest esse nisi apostolicus. Deinde, si intercesserit, in favorem liberae collationis, consuetudo non praesentandi, qua per spatium triginta annorum perdurante (cfr. can. 1511, § 2), ius praesentandi fuerit in persona morali, per praescriptionem legitime extinctum. Tertio, si vicariam actualem Ordinarius dotaverit, atque in actu dotationis (ex analogia cum iure patronatus ex capite dotationis beneficii) ius liberae collationis sibi reservaverit : cui sane reservationi persona moralis. dotando inepta, repugnare non potest. Hisce igitur tribus modis evanescere potest in persona morali, cui paroecia sit pleno iure unita, ius praesentandi.

5. *Vicarius si sit religiosus* etc. — Si paroecia pleno iure unita fuerit domui religiosae, in vicarium actualem institui non potest nisi religiosus

(cfr. can. 1442). Religiosus autem vicarius semper est ratione personae (nempe unici subiecti, in quo duplex character reperitur et viri religiosi et clerici, cui commissa est cura spiritualis fidelium loci Ordinario subditorum), perinde ac parochus religiosus de quo in can. 454, § 5, amovibilis ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario. Ideoque peculiaris est eius conditio iuridica. Ex adverso vicarius saecularis nonnisi a loci Ordinario removeri potest, nulla relicta personae morali, quae eum praesentavit, auctoritas sese interponendi : huius namque personae iura veluti exhauriuntur per actum praesentationis ; ideoque, ex parte praesentantis, vicarius saecularis perpetuus est. Sed neque Ordinarius removere potest, nisi iis adhibitis modis, quibus ex iure communi parochi removentur. Quinam autem parochi ? Amovibiles an inamovibiles ? Utique inamovibiles ; idque tribus ex capitibus : primo, quia vicarii actuales non religiosi, uti Legislator expresse edicit, *ex parte praesentantis sunt perpetui ;* deinde quia versamur in odiosis ; tertio, et hoc peremptorium est, quia vicarius huiusmodi et genuinus beneficiarius est et beneficium habet in titulum, ideoque veteri quoque iure tanquam inamovibilis habebatur. Ad rem cl. Wernz (*Jus decret.*, II, n. 840, c.) : *Vicarii perpetui, cum aequiparentur veris beneficiatis, minime ad nutum Episcopi vel parochi habitualis* (idest personae moralis de qua supra) *sunt revocabiles, sed tantum ab Episcopo, ex causis in iure expressis et servata forma processus canonici saltem summarii, suis vicariis privari possunt.*

6. *Ad vicarium exclusive*, etc. — Officium vicarii actualis exclusivum est, nempe cuiuscumque interpositionis eius personae moralis, apud quam est cura animarum habitualis. Proinde ad hunc vicarium pertinet cura animarum universa cum omnibus parochorum iuribus atque obligationibus, Missa pro populo non excepta, ad normam iuris communis, ideoque cum exceptionibus (cfr. ex. c. can. 462, n. 7) ab eodem iure pro parocho statutis, necnon iuris particularis quod communi non contradicat. Habet proinde protestatem ordinariam parochorum propriam.

Can. 472.

Vacante paroecia :

1. *Ordinarius loci in ea quamprimum constituat idoneum vicarium oeconomum, de consensu Superioris, side religioso agatur, qui eam tempore vacationis regat, assignata eidem parte fructuum pro congrua sustentatione ;*

2. *Ante oeconomi constitutionem, paroeciae regimen, nisi aliter provisum fuerit, assumat interim vicarius cooperator ; si plures vicarii sint, primus ; si omnes aequales, munere antiquior ; si vicarii desint, parochus vicinior ; si tandem agatur de paroecia religiosis concredita, domus Superior ; loci autem Ordinarius in Synodo vel extra Synodum tempestive determinet quaenam paroecia cuique paroeciae vicinior habenda sit ;*

3. *Qui paroeciae regimen ad normam n. 2 assumpsit, debet loci Ordinarium de paroeciae vacatione statim certiorem facere.*

1. *Vacante paroecia.* — Paroecia vacante, adesse expedit in ea qui parochi, cuius ius resolutum est, vices gerat : siquidem, ne paroecia quidem acephala esse quovis tempore oportet. Hinc praxis vicarium oeconomum sufficiendi, vetustissima censenda est. Concilium autem Tridentinum eam praxim in legem ecclesiasticam convertit (Sess. XXIV, cap. 18, *de reform.*) his verbis : *Statuit sancta Synodus, ut — cum parochialis ecclesiae vacatio, etiamsi cura ecclesiae vel Episcopo incumbere dicatur..., per obitum vel resignationem, etiam in Curia, seu aliter quomodocumque contigerit, etiamsi ipsa parochialis ecclesia reservata vel affecta fuerit generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium seu Abbatum vel Capitulorum — debeat Episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur.* At huic legi Conc. Tridentinum conditionem apposuit : *si opus fuerit.* Nempe, ut explicat Barbosa (*Collect. in Conc. Trid.*, ad ead. verba), *quia in eadem ecclesia possunt adesse alii ministri sacramentorum, qui interea curam quoque illam, quae ad defunctum* (idest parochum) *spectabat, exercerent ; vel aliqui vicini parochi libenter idem praestarent ; aut alii similes casus evenirent, quibus appareret* « *non esse opus* » *constituere alium vicarium. Ita refert decisum Garc. d. part.* 9, *cap.* 2, *n.* 13. Verum, iam in const. Benedicti Pp. XIV *Cum illud* (14 dec. 1742, § 16, I) ea Concilii Trid. conditio amplius non apparet, sed nudum praeceptum vicarium oeconomum constituendi. Quod ius usque ad Codicis i. c. promulgationem integrum permansit atque in Codicem receptum est. Vacante igitur paroecia, sive haec fuerit inamovibilis sive amovibilis, aliis verbis sive agatur de paroecia sive de quasi-paroecia aut de vicaria actuali, vicarius oeconomus constituendus est.

2. *Ordinarius loci*, etc. — Constituendus autem est ab Ordinario loci semper et in quocumque casu, quamvis beneficii paroecialis collatio fuerit, vi can. 1435, Ap. Sedi reservata vel paroecia a R. Pontifice affecta aut iuri patronatus obnoxia : non enim tum agitur de beneficio vel officio paroeciali permanenter conferendo, sed de in tuto ponenda cura animarum usque dum paroeciale officium permanenter conferatur. Quod si agatur de constituendo vicario religioso (quod, praeter paroecias religionibus concreditas, facile contingere potest in quasi-paroeciis missionum), ob rationes supra allatas (cfr. comm. ad can. 471, n. 5), consensus Superioris religiosi necessarius est.

3. *Ante oeconomi institutionem*, etc. — Uti supra innuimus, numquam cura animarum intercipi debet. Inde huius paragraphi praescriptum (ita

digestum ut nullum arbitrio effugium relinquat), per quod paroeciae eo quoque tempore consulitur, quod intercedit inter momentum vacationis et vicarii oeconomi constitutionem. Scilicet statim atque ius parochi resolutum est, nisi aliter ab Ordinario provisum fuerit (veluti ex. c. per designationem praeviam clerici, cuius hic ratio non habetur, idque ob peculiaria rerum adiuncta), paroeciae regimen iure ipso transit in vicarium cooperatorem seu unicum seu primum, nempe dignitate ; si desint inter cooperatores dignitatis gradus, in munere antiquiorem ; si nullus extet vicarius cooperator in parochum quem Ordinarius per synodale vel extrasynodale statutum viciniorem declaraverit. Haec si paroecia fuerit saecularis. Si vero religiosa fuerit, regimen paroeciae transit iure ipso in domus Superiorem. Quid vero si Superior simul sit parochus ? Videtur, analogice, transire in cooperatorem unicum vel primum vel antiquiorem, uti supra. Quod si agatur de domo prorsus informi (cfr. can. 488 n. 5) et cooperatores desint, tum tempestive *aliter providendum est* ab Ordinario atque Superiore maiori.

Can. 473.

§ 1. *Vicarius oeconomus iisdem iuribus gaudet iisdemque officiis adstringitur, ac parochus, in iis quae animarum curam spectant ; nihil tamen ipsi agere in paroecia licet, quod praeiudicium afferre possit iuribus parochi aut beneficii paroecialis.*

§ 2. *Oeconomus novo parocho vel oeconomo successori coram vicario foraneo vel alio sacerdote ab Ordinario designato tradat clavem archivi et inventarium librorum ac documentorum aliarumque rerum quae ad paroeciam pertinent, et rationem reddat accepti et expensi tempore administrationis.*

Vicarius oeconomus ideo constituitur, ut vacante paroecia vicem parochi gerat quoad curam animarum universam : unde hac in re parocho plenissime aequiparatur et quidquid parochus debet ac potest, potest quoque ac debet vicarius oeconomus.

Estne autem potestas vicarii oeconomi ordinaria an delegata ? Videtur esse ordinaria, ideoque eam posse vicarius alteri ex toto vel ex parte delegare (can. 199, § 1): ipso enim iure adnexa est officio (cfr. can. 197, § 1), uti nuper vidimus. Neque obiici potest, eam potestatem ex officii natura non defluere, ac proinde ratione vel occasione officii, uti quid superveniens, esse collatam : nam, detracta hac, quae a iure vicario oeconomo datur, potestate, officium prorsus evanescit. Sed neque potest obiici, potestatem esse precariam et ad nutum revocabilem : siquidem Vicarii quoque generalis potestas ad nutum Episcopi revocabilis est ; sicuti etiam precaria est potestas Vicarii capitularis : et tamen tum Vicarii generalis, tum capitularis potestas ordinaria est ex expressa definitione iuris (can. 198, § 1),.

Quod si, ut meminit Wernz-Vidal (*Jus canonicum*, II, p. 793, nota 3), S. Congr. Concilii, 9 maii et 12 sept. 1874, hac de re rogata quaestionem dirimere noluit, verum etiam est: — 1) tunc eam responsionem fuisse editam, cum potestas vicarii oeconomi nitebatur tantummodo statuto Conc. Tridentini a nobis supra allato, quod ansam utique dubitandi praebere poterat: *nullus* enim *canon*, ut S. Congregatio ex officio animadvertebat, *aut constitutio tunc extabat in universo iuris pontificii corpore, quae oeconomo curato iurisdictionem tribueret;* dum modo, post promulgationem Codicis, et per hunc canonem vicarii potestas perspicue definita est a iure, tanquam officio adnexa; et per can. 197, § 1, expresse statutum est a Legislatore, potestatem, quae iure ipso adnectitur officio, esse ordinariam; — 2) nihilominus S. Congregationem edixisse, vicarium oeconomum alium sacerdotem *ad omnes*, non autem ad aliquos tantummodo *actus*, delegare posse (nempe *ex iure communi*), nisi obstiterit voluntas Ordinarii: non autem, iure quo nunc utimur, potest quis suam potestatem *ex toto* delegare, nisi haec potestas aut ordinaria sit, aut (et de hac re nihil in casu) delegata ab Ap. Sede.

Ex adverso, quia precarium est officium vicarii oeconomi, nihil is agere potest, quod iuribus, seu spiritualibus seu temporalibus, parochi aut beneficii paroecialis praeiudicium afferre queat. Aliis verbis, ad vacantem quoque paroeciam, pertinet, quod can. 436 statuit de dioecesi: *sede vacante nihil innovetur.*

Can. 474.

Vicarius substitutus qui constituitur ad normam can. 465, §§ 4, 5 *et can.* 1923, § 2, *locum parochi tenet in omnibus quae ad curam animarum spectant, nisi Ordinarius loci vel parochus aliquid exceperint.*

1. *Vicarius substitutus*, etc. — Prudenti Legislatori quam diligentissime consulere placuit saluti animarum parochis immediate commissae. Quare per can. 465, §§ 4 et 5 haec statuit: *Sive continuum sive intermissum sit vacationum tempus, cum absentia* (nempe parochi aut quasi-parochi aut vicarii actualis aut vicarii oeconomi vel etiam adiutoris, parochi vices in omnibus supplentis) *ultra hebdomadam est duratura, parochus, praeter legitimam causam, habere debet Ordinarii scriptam licentiam et vicarium substitutum sui loco relinquere ab eodem Ordinario probandum; quod si parochus sit religiosus, indiget praeterea consensu Superioris et substitutus tum ab Ordinario tum a Superiore probari debet. Si parochus repentina et gravi de causa discedere atque ultra hebdomadam cogatur abesse, quam primum per litteras Ordinarium commonefaciat, ei indicans causam discessus et sacerdotem supplentem, eiusque stet mandatis.* Qui sacerdos supplens, post Ordinarii approbationem vicarius substitutus evadit. Per can. vero 1923, § 2: *Ad exsecutionem*

privationis beneficii iudex ne procedat contra clericum qui Sanctam Sedem adierit ; sed si agatur de beneficio, cui adnexa sit animarum cura, Ordinarius provideat per designationem vicarii substituti. Agitur hic de sententia iudiciali privationis beneficii quae in rem iudicatam transierit. Parocho igitur suam residentiam ultra hebdomadam quacumque de causa (etiam ad exercitia spiritualia peragenda aut annua a iure concessa vacatione fruendum) sive sponte sive coacte relicturo, sufficiendus est Vicarius substitutus.

2. *Locum parochi tenet*, etc. — Itaque, vi designationis parochi et post approbationem Ordinarii, omnia iura omnesque paroeciales obligationes (Missa pro populo excepta, quae titularem parochum gravat) curam animarum respicientes, ex dispositione iuris, in vicarium substitutum pertranseunt. Quae quidem vicarii substituti potestas, cum *a iure* officio adnectatur, et ipsa ordinaria esse videtur, cui tamen potest *ab homine* (nempe ab Episcopo et parocho) aliquatenus derogari. Quare ? In primis ex eo quod, ad normam can. 873 § 1, parochus *aliique qui loco parochi sunt*, pro suo territorio *ordinaria iurisdictione* potiuntur ad confessiones excipiendas : quibus verbis vicarius substitutus, qui absque dubio *loco parochi est*, parocho aequiparatur. Alia ratio reperiri potest in responsione a Pont. Commissione C. i. p. die 14 iul. 1922 data, vi cuius vicarius substitutus (nulla exceptione interposita et post Ordinarii approbationem) potest, nempe ex dispositione iuris, valide et licite matrimoniis assistere, idest sine ulla delegatione et ratione officii. Genuina autem ratio, ob quam potestas vicarii substituti videtur esse ordinaria, posita est in praescripto can. 451, ex quo *vicarii paroeciales* (nempe omne genus), si plena potestate paroeciali sint praediti, parochis *aequiparantur* cum *omnibus iuribus* et obligationibus *paroecialibus* et *parochorum nomine* in iure veniunt. Unde, cum vicariis substitutis semper insit potestas paroecialis moraliter plena, quamvis Ordinarius vel parochus aliquid exceperint (et parum excipere possunt, ne substituti figura evanescat eiusve munus inutile evadat), vicarius substitutus, perdurante munere, *parochis* aequiparatur, omnia iura *paroecialia* (quoad curam animarum) habet et *parochi* nomine in iure venit. Est igitur paroecialis ac proinde ordinaria potestas vicarii substituti. Imo eam ordinariam esse oportebat, nempe ut posset, urgente necessitate, universam delegare (cfr. can. 199, § 1), ne animarum cura detrimentum inde pateretur.

Can. 475.

§ 1. *Si parochus ob senectutem, mentis vitium, imperitiam, caecitatem aliamve permanentem causam suis muniis rite obeundis impar evaserit, Ordinarius loci det vicarium adiutorem, praesentatum a Superiore, si de paroe-*

cia agatur religiosis concredita, qui suppleat eius vicem, assignata eidem congrua fructuum portione, nisi aliter provisum sit.

§ 2. *Adiutori, si in omnibus suppleat parochi vicem, iura omnia et officia competunt parochorum propria, excepta Missae applicatione pro populo quae parochum gravat ; si vero suppleat ex parte dumtaxat, eius iura et obligationes desumantur ex litteris deputationis.*

§ 3. *Si parochus sit sui compos, adiutor operam suam praestare debet sub eiusdem auctor tate secundum Ordinarii litteras.*

§ 4. *Quod si per vicarium adiutorem bono animarum provideri nequeat, locus est parochi amotioni ad normam can.* 2147-2161.

1. *Si parochus ob senectutem*, etc. — Contingere potest ut parochus, quasi-parochus aut vicarius actualis, ob personale ac permanens mpedimentum, minus apti aut etiam prorsus inept fiant ad munia sua rite obeunda. Tum vero, quoniam, iuxta aequitatem canonicam, *non est afflicto afflictio superaddenda*, conceditur impedito vicarius adiutor, sicut coadiutor conceditur Episcopo, qui iisdem versetur in adiunctis. Causae diversissimae esse possunt (et Legislator quasdam affert in exemplum) ; sed, uti canonicae habeantur ad effectum nominandi vicarium adiutorem, impedimentum inde exoriens debet : — 1) esse personale, nempe e persona parochi descendens, sive eius corpus, veluti caecitas, sive animum, veluti imperitia, directe afficiat ; — 2) esse permanens, non tamen perpetuum : si namque agatur de impedimento, quod brevi defuturum praevideatur, tum non vicarius adiutor, sed substitutus sufficitur ; — 3) illud esse, per quod parochus vel minus aptus, vel prorsus ineptus fiat ad munia paroecialia rite obeunda. Extante igitur causa huiusmodi, oritur in Episcopo obligatio (cfr. Conc. Trid., Sess. XXI, *de ref.*, c. 6) adiutorem idoneum constituendi eique congruam fructuum beneficii portionem assignandi ; vel, si agatur de paroecia religiosa, Superiorem religiosum invitandi, ut adiutorem praesentet eumque, si idoneus fuerit, probandi.

2. *Adiutori, si in omnibus*, etc. — Adiutor constitui potest ad vicem parochi in omnibus (quae ad curam animarum pertinent) supplendam : et tunc potestatem recipit *a iure*, estque haec plena potestas paroecialis, ac proinde ordinaria, cum omnibus paroecialibus obligationibus. Idque contingere solet, cum eius generis est impedimentum, quod parochum ex toto inhabilitet ad munia sua recte obeunda, veluti si fuerit mente captus. Vel etiam constitui potest adiutor ad supplendam parochi vicem ex parte dum taxat: et tunc potestatem recipit *ab homine*, nempe ab Ordinario mittenti, estque potestas delegata quae debet in litteris deputationis diligenter circumscribi. Quominus autem iura ita definita adiutor exerceat, vel obligationes ita descriptas impleat, parochus impedire non potest : nam vicarius adiutor agit in casu per facultates episcopales. Nunquam tamen tenetur ad Missam

pro populo applicandam, quae, quousque parochi ius fuerit resolutum, parochum gravat, tum quoque cum hic sui compos non est : scilicet, si parochus applicare non possit, per alium applicari debet, ex paroecialibus reditibus stipendio detracto.

3. *Si parochus sit sui compos*, etc. — Si parochus mente captus fuerit, tum, uti patet, non solum adiutor in omnibus (Missa pro populo excepta) eius vicem supplet, sed etiam paroeciam regit auctoritate propria ; extra hunc casum, quaecumque sit causa ob quam adiutor constituitur, ac proinde quamvis vicem parochi gerat in omnibus, tamen munus suum implere debet, ex iure communi, sub parochi auctoritate : quocirca, quoniam pro varietate impedimentorum plus minusve parochus auctoritatem suam exercere potest, standum est litteris deputationis ; neque potest Ordinarius statuere, parochi sui compotis auctoritatem omnino esse negligendam.

4. *Quod si per vicarium* etc. — Quanta lenitate ius nostrum rationem habeat et aestimationis et dignitatis parochi minus apti vel etiam prorsus inepti ad ministerium paroeciale exercendum, nuper vidimus. At, tandem aliquando salus animarum suprema lex : quare, si per vicarium adiutorem bono animarum provideri nequeat (sive quia nemo sit qui hoc munus sponte acceptet ; sive quia parochus moleste ferat adiutorem sibi esse datum, eumque plus minusve impediat in suo munere exercendo, sive alia de causa), Ordinarius potest ac debet parochum, qui ad animarum salutem non autem ad beneficio fruendum potissimum constitutus est, officio amovere via administrativa, videlicet ad normam can. 2147-2161.

Can. 476.

§ 1. *Si parochus propter populi multitudinem aliasve causas nequeat, iudicio Ordinarii, solus convenientem curam gerere paroeciae, eidem detur unus vel plures vicarii cooperatores, quibus congrua remuneratio assignetur.*

§ 2. *Vicarii cooperatores constitui possunt sive pro universa paroecia, sive pro determinata paroeciae parte..*

§ 3. *Non ad parochum, sed ad loci Ordinarium, audito parocho, competit ius nominandi vicarios cooperatores e clero saeculari.*

§ 4. *Vicarios cooperatores religiosos Superior cui id ex constitutionibus competit, audito parocho, praesentat Ordinario, cuius est eosdem approbare.*

§ 5. *Vicarius cooperator obligatione tenetur in paroecia residendi secundum statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines aut Episcopi praescriptum ; imo prudenter curet Ordinarius, ad normam can.* 134, *ut in eadem paroeciali domo commoretur.*

§ 6. *Eius iura et obligationes ex statutis dioecesanis, ex litteris Ordinarii et ex ipsius parochi commissione desumantur ; sed, nisi aliud expresse cavea-*

tur, ipse debet ratione officii parochi vicem supplere eumque adiuvare in universo paroeciali ministerio, excepta applicatione Missae pro populo.

§ 7. *Subest parocho, qui eum paterne instruat ac dirigat in cura animarum, ei invigilet et saltem quotannis ad Ordinarium de eodem referat.*

§ 8. *Si nec per vicarios cooperatores spirituali fidelium bono consuli rite queat, Episcopus provideat ad normam can.* 1427.

1. *Si parochus propter*, etc. — Hactenus egimus de vicario adiutore, qui datur parocho ob causam personalem. Ex adverso, si causa, ob quam parochus suis obligationibus obeundis impar evadit,non a parochi persona defluit sed ab externis rerum adiunctis, veluti ex populi multitudine, ex amplitudine territorii, ex officiis cum paroeciali forte legitime coniunctis, ex varietate idiomatum quibus populus utitur aliisve de causis, tum parocho dandi sunt unus vel plures vicarii cooperatores. Judicare an necessitas adsit cooperatores nominandi, sicuti etiam pondus remunerationis statuere, ad Ordinarium pertinet. Item pertinet ad Ordinarium, cooperatorem constituere pro universa paroecia, uti nempe parocho auxilium praestet per universum paroeciae territorium, vel tantummodo pro certa paroeciae parte, veluti quandoque contingit, cum paroecia pluribus constat oppidulis seu domorum conglomerationibus.

2. *Non ad parochum*, etc. — Conc. Tridentinum (Sess. XXI, *de ref.*, c. 4), dum parochis praeceperat ut, si opus esset, vicarios cooperatores sibi adsciscerent, simul eisdem facultatem tribuerat eos nominandi ; Ordinariis vero tantummodo potestatem parochum ad id faciendum cogendi vel supplendi negligentem. Idque ius commune usque ad Codicis i. c. promulgationem. Sed ius particulare, alicubi legitime receptum, contraponebatur. Ita in Germania, Gallia, Belgio, Austria, Hispania et alibi, vi legitimae consuetudinis, Episcopi libere prorsus vicarios cooperatores constituebant ac revocabant. Per Codicem vero et ius illud commune et hoc ius particulare sublatum est. Scilicet non amplius ad parochum competit ius nominandi vicarios cooperatores, sed ad loci Ordinarium ; ita tamen, ut non quidem omnino libera sit Ordinarii nominatio, sed ad actus validitatem parochus sit consulendus. Utraque igitur praxis, ante Codicem vigens, modo contra ius est, ideoque omnem vim obligandi amisit, imo servari non potest, ut respondit 13 nov. 1920 S. Congr. Concilii Archiepiscopo Zagabriensi, roganti an posset servari consuetudo centenaria, ob penuriam sacerdotum inducta, vicarios cooperatores inaudito parocho nominandi : siquidem et ius a Codice introductum novum est, ac proinde defuit tempus contra praescribendi ; et, dum in casu Episcopus, uti animadvertebat *ex officio* S. Congregatio, dubitat num consuetudo *servari possit*, facto ipso aperte fatetur, nullum adesse dubium quin *possit submoveri*. Haec si agatur de clerico saecu-

lari : nam si agatur de constituendo in vicarium cooperatorem viro religioso, obligatio parochum ad validitatem actus audiendi et ius vicarium praesentandi ad Superiorem religiosum pertinet.

3. *Eius iura et obligationes*, etc. — Nihil in iure communi de potestate vicarii cooperatoris, sed tantummodo generalis regula, teneri eum, ratione officii, *obligatione* parochi vicem supplendi eumque adiuvandi, idest parocho rogante vel tacite approbante, in universo paroeciali ministerio. At haec regula generalis tum tantum valet, cum *aliud expresse cautum non est :* nam iura atque obligationes vicarii cooperatoris ad ius particulare (nempe ad leges dioecesanas vel Ordinarii praescripta) aut, hoc deficiente, ad parochi prudens arbitrium definienda remittuntur. Nulla igitur in vicarium cooperatorem ex iure communi potestas descendit : unde, si qua potestas in eo est, semper utique est delegata, quamvis delegata esse possit ad universitatem causarum. Itaque, extante lege dioecesana aut Ordinarii praescripto quae iura et obligationes vicarii cooperatoris definiant, nihil contra parochus praecipere potest absque Ordinarii dispensatione : secus, suo prudenti arbitrio, aequitate servata, potest exigere a vicario cooperatore auxilium in universo ministerio paroeciali.

4. *Si nec per vicarios cooperatores*, etc. — Si ea fuerint rerum adiuncta, ut ne per cooperatorum quidem deputationem curae animarum satis consuli possit, tum Ordinarius providere tenetur ad normam can. 1427 : nempe adesse censetur iusta et canonica causa paroecias quaslibet, invitis quoque earum rectoribus et sine populi consensu, dividendi, novam paroeciam aut vicariam perpetuam erigendi earumve territorium dismembrandi (ibid. § 1) ad normam iuris.

Can. 477.

§ 1. *Vicarii paroeciales de quibus in can.* 472-476, *si religiosi sint, amoveri possunt ad normam can.* 454, § 5 ; *secus ad nutum Episcopi vel Vicarii Capitularis, non autem Vicarii Generalis sine mandato speciali.*

§ 2. *Quod si vicaria sit beneficialis, vicarius cooperator removeri potest processu ad normam iuris, non solum ob causas propter quas alii parochi removeri possunt, sed etiam si graviter subiectioni defecerit parocho debitae in exercitio suarum functionum.*

1. *Vicarii paroeciales*, etc. — Agitur in canone de omnibus vicariis paroecialibus, exceptis actualibus, de quorum amotione Legislator speciatim locutus est in can. 471, § 3. Sunt igitur vicarii huiusmodi amobiviles ad nutum tum Episcopi, tum Vicarii capitularis, qui, cum possit hos omnes vicarios constituere (can. 455, § 2, n. 1), potest quoque ab officio amovere. Sed, si agatur de amovendo vicario religioso (qui aequo iure a proprio etiam

Superiore, monito Ordinario, amoveri potest), Ordinarius de decreta amotione Superiorem religiosum tempestive monere debet.

2. *Quod si vicaria* etc. — Ex vicariis de quibus hic agitur, beneficialis esse non potest nisi vicaria cooperatorialis: vicarius namque oeconomus constituitur *vacante beneficio* paroeciali, ad idem beneficium vacationis tempore administrandum ; vicarius vero substitutus atque adiutor constituuntur ad vicem supplendam existentis beneficiarii minus apti vel absentis. Itaque, si vicaria cooperatorialis beneficialis sit, nempe si beneficio constet sive amovibili sive inamovibili (cfr. can. 1411, n. 4), vicarius cooperator removeri non potest nisi ad normam iuris (cfr. can. 454, §§ 1 et 2): videlicet ad normam can. 2147-2161, si amotio decernatur ob aliquam ex causis in can. 2147 recensitis, quibus hic expresse additur causa gravis inobedientiae erga parochum proprium in exercitio suarum functionum ; ad normam vero can. 1576, § 1, n. 1, si delictum intercesserit, propter quod ius commune poenam privationis beneficii statuerit.

Can. 478.

§ 1. *Sicut parochus ecclesiae cathedralis, ita vicarius paroecialis Capituli cathedralis praecedit omnibus aliis dioecesis parochis aut vicariis; oeconomi vero ius praecedentiae regitur normis in can.* 106 *statutis.*

§ 2. *Vicarii substituti et adiutores praecedunt, dum in munere manent, vicariis cooperatoribus ; hi aliis sacerdotibus ecclesiae paroeciali addictis.*

1. *Sicut parochus*, etc. — Canon ius praecedentiae definit, quod vi muneris competit vicariis paroecialibus, nempe vicariis actualibus, oeconomis, substitutis, adiutoribus et cooperatoribus. Quocirca in primis animadvertendum est ius praecedentiae vicarii oeconomi regi communibus normis in can. 106 statutis, ceterorum vero vicariorum normis peculiaribus statutis in hoc canone. Quare ? Quia, inter omnes vicarios paroeciales, unus vicarius oeconomus paroeciam vacantem administrat cum plena, quamvis temporaria, paroeciali auctoritate ; ideoque, cum parochi, cuius ius resolutum est, personam plenissime gerat, ex eadem (ad normam can. 106, n. 1) praecedentiam obtinet ; dum, contra, vicarius actualis, etsi propter officium veniat in iure parochi nomine (can. 415, § 2, n. 2), tamen cum agatur de paroecia personae morali pleno iure unita, proprie loquendo ipsamet persona moralis est parochus (can. 452, § 1) ; ceteri vero parochorum vicarii, ut vices parochi existentis plus minusve suppleant, constituuntur. Quapropter, cum esset hisce omnibus ecclesiasticis personis ratione muneris peculiaris quaedam praecedentia concedenda, haec spe-

cialibus normis (cfr. can. 106) hoc loco statuenda erat. Primum igitur vicarius actualis Capituli cathedralis praecedit omnibus aliis dioecesis parochis atque vicariis : quamvis namque, proprie loquendo Capitulum sit parochus, tamen, quia de facto, sin nomine, omnes eius ecclesiae parochi partes explet, parocho ecclesiae cathedralis erat aequiparandus.

2. *Vicarii substituti*, etc. — Vicarius substitutus parochi absentis vicem gerit, vicarius vero adiutor vicem gerit (can. 475, § 1) parochi plus minusve inepti suis muniis rite obeundis ; ex adverso vicarius cooperator, qua talis, in auxilium parochi et praesentis et agere valentis constituitur : scilicet illi dantur ad officium paroeciale plus minusve gerendum, hic ad auxilium parocho, paroeciale officium per se gerenti, plus minusve praestandum, prout parochus iusserit. Qua talis igitur vicarius cooperator minus est quam vicarius substitutus vel adiutor, et ideo his competit ius praecedentiae. Vicissim vicarius cooperator praecedit aliis sacerdotibus ecclesiae paroeciali addictis, veluti ex. c. sacerdoti, qui in eadem ecclesia addicitur muneri sacristae maioris vel in ea cappellaniam exercet. Quod praecedentiae ius intelligendum profecto est ad mentem Ss. Rituum Congregationis, quae bis rogata (23 febr. 1839 et 12 iul. 1892) num vice-parochus (idest vicarius cooperator) gaudeat iure praecedentiae super alios sacerdotes, antiquiores ratione ordinationis, bis respondit : *Negative, nisi agatur de functionibus in quibus fungitur munere suo ;* nempe de casibus, in quibus adest qua vicarius cooperator ratione muneris, non autem qua clericus privatus.

CAPUT XI

DE ECCLESIARUM RECTORIBUS

Can. 479.

§ 1. *Nomine rectorum ecclesiarum hic veniunt sacerdotes, quibus cura demandatur alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis sit nec capitularis, nec adnexa domui communitatis religiosae, quae in eadem officia celebret.*

§ 2. *De cappellano religiosarum, sodalium virorum religionis laicalis, confraternitatis vel alius legitimae associationis, serventur particularium canonum praescripta.*

1. *Nomine rectorum*, etc. — Postquam, praeter ecclesiam cathedralem, prius ruri, dein in ipsa episcopali civitate ecclesiae tum paroeciales tum religiosae ac postea collegiatae erigi coeperunt, brevi factum est, ut aliae quoque ecclesiae, sive ex Principum vel optimatum munificentia sive

ex populi pietate, erigerentur, addictis eisdem clericis cum obligatione curandi divini cultus exercitium atque incrementum. Qui clericis seu ecclesiae huiusmodi praeest, nomine rectoris ecclesiae in iure venit.

2. *Quae nec paroecialis*, etc. — Summa igitur ecclesiarum divisio haec est, ut aliae sint paroeciales, aliae capitulares, aliae religiosae aliae denique rectoriales : priores a parocho, alterae a Capitulo, tertiae a religiosa communitate, postremae a clerico reguntur, qui, deficiente quavis alia qualitate, rector simpliciter et specifice dicitur.

3. *De cappellano religiosarum*, etc. — Cappellani, exceptis militaribus qui peculiari apostolico iure reguntur (can. 451, § 3), vel religiosis mulieribus addicti sunt vel sodalibus viris religionis laicalis vel piae laicorum associationi. Cappellanorum tamen nomine, designari etiam solent clerici piis domibus, carceribus, nosocomiis permanenter addicti. Sed hi omnes cappellani, qua tales, proprie ecclesiarum rectores appellari non possunt : nam ecclesiae cura proprie tunc ad personam moralem pertinet, relicto plerumque cappellano tantummodo munere divina officia ad normam statutorum, constitutionum vel initi contractus peragendi. Quandoque vero, ex adverso, iura quaedam paroecialia ipsis a iure tribuuntur (cfr. can. 464, 514, 1230, § 5). Hisce de causis, quoad cappellanos huiusmodi, potius quam regulae hoc capite statutae, particularium canonum (cfr. can. 479, § 2, 529, 698) statuta servanda sunt.

Can. 480.

§ 1. *Ecclesiarum rectores libere nominantur ab Ordinario loci, salvo iure eligendi aut praesentandi, si cui legitime competat ; quo in casu Ordinarii est rectorem approbare.*

§ 2. *Licet ecclesia pertineat ad aliquam religionem exemptam, rector tamen a Superiore nominatus debet ab Ordinario loci approbari.*

§ 3. *Si ecclesia coniuncta sit cum Seminario aliove collegio quod a clericis regitur, Superior Seminarii vel collegii est simul ecclesiae rector, nisi aliter loci Ordinarius constituerit.*

1. *Ecclesiarum rectores*, etc. — Nulla paragrapho clausula a Legislatore adiecta est, imo iura eligendi ac praesentandi legitime quaesita expresse reservantur. Est igitur lex ita intelligenda, ut, quoties nullum ius contra liberam nominationem quaesitum proponatur et probetur, ad loci Ordinarium (qui habet intentionem in iure fundatam omnibus officiis ecclesiasticis in proprio territorio providendi—can. 152) pertineat nominatio rectorum ecclesiarum. Jura autem quaesita, quae liberae nominationi opponi possunt, sunt ius nominandi vel eligendi vel praesentandi, quod

alicui personae plysicae aut morali competat sive ex concordato (can. 3), sive ex privilegio, sive ex consuetudine aut praescriptione. Quod si praesentatio aut electio praecesserit, Ordinarii loci est personam electam aut praesentatam approbare vel minus : idest si rectoria fuerit in perpetuum officium ecclesiasticum (prout fere semper contingit) vel in beneficium erecta, canonicam institutionem concedere (cfr. can. 145-148).

2. *Licet ecclesia pertineat*, etc. — Religiones exemptae, cum earum domibus atque ecclesiis, a iurisdictione Ordinarii loci subtrahuntur et R. Pontifici immediate subsunt (can. 615). Quare, si ecclesia religiosorum tantummodo usui fuerit addicta, nihil omnino in ea potest loci Ordinarius. Sed alia est rerum conditio, cum (uti fere semper evenire solet) ecclesia, per se exempta, ad divinum cultum publice exercendum destinatur (cfr. can. 1161 et 1188, § 2, n. 1) : tum namque obiectum activitatis religionis exemptae (vel eius vicem gerentis) est populus fidelis, qui iurisdictioni Ordinarii loci, eiusque tantum, a iure subiicitur. Inde ipsius Ordinarii potestas in parochi (si ecclesia exempta fuerit paroecialis) vel saltem in rectoris constitutionem. Scilicet potest Ordinarius rectorem, a Superiore religioso nominatum, tum si fuerit religionis exemptae sodalis, tum *a fortiori* si clericus saecularis fuerit, approbare vel ineptum respuere.

3. *Si ecclesia coniuncta*, etc. — Seminariis, catholicis studiorum Universitatibus, piis domibus adolescentibus puerisve instituendis erectis aliisve huiusmodi personis moralibus, quas clerici moderantur, coniuncta est ecclesia, quae rectore carere non potest. Fit igitur hoc in casu a iure Ordinario loci facultas rectorem, pro eius conscientia et arbitrio constituendi ; quod nisi fecerit, iure ipso personae moralis Superior est simul ecclesiae rector, cum omnibus rectoris iuribus atque obligationibus.

Can. 481.

In ecclesia sibi commissa rector functiones paroeciales peragere nequit.

Modo igitur de iuribus rectorum ecclesiarum. Et primum de iis quae a rectore fieri non possunt. Functiones paroeciales, seu parocho reservatae, in can. 462 recensentur (cfr. comm. ad hunc can.).Tum bonum fidelium, tum aequitas postulat, ut alius nemo, sine parochi consensu, functiones huiusmodi peragere possit. Unde etiam ecclesiae rectori id interdicitur, nisi forte agatur de personis moralibus de quibus in canone praecedenti, quaeque legitime fuerint a parochi potestate exemptae (quo in casu tenori decreti exemptionis standum est), vel de Seminario in quo, ad normam can. 1368, officium parochi gerit Seminarii rector eiusve delegatus.

CAN. 482.

Ecclesiae rector potest divina officia etiam sollemnia ibidem celebrare, salvis legitimis fundationis legibus et dummodo non noceant ministerio paroeciali ; in dubio autem utrum huiusmodi detrimentum contingat, necne, Ordinarii loci est rem dirimere et opportunas normas praescribere ad illud evitandum.

1. *Ecclesiae rector potest*, etc. — Cum ecclesiae rectoriali (Seminariis et collegiis, de quibus in can. 480, § 3, exceptis) cura animarum non insit, munus rectoris ad divinum cultum exercendum atque augendum coarctatur. Eius igitur potestas divina officia (exceptis functionibus paroecialibus) tantummodo comprehendit, eaque omnia, quae ad hunc finem assequendum necessaria sunt.

2. *Salvis legitimis*, etc. — Quocirca haec praecipue rector animadvertere debet : — 1). Quod leges fundationis adamussim serventur. Quae si quid forte contineant ad iura paroecialia pertinens, id quoque a rectore legitime peragitur, cum quaelibet lex fundationis (utpote quae naturam contractus onerosi inter pium fundatorem ac loci Ordinarium praeseferat) nedum parocho, sed ipsi quoque Ordinario sit sancte servanda. — 2) Quod, salvis fundationis legibus, divina officia a rectore celebranda ministerio paroeciali, animarum curam et salutem directe et ex officio respicienti, non noceant : si enim id fieri permitteretur, principale cederet accessorio.

3. *In dubio autem*, etc. — Diversissima sunt rerum adiuncta, propter quae divina officia, in ecclesia rectoriali celebrari solita, nocere possunt aut minus ministerio paroeciali, inter quae praecipua sunt tempus officiorum et ecclesiarum distantia. Quare, si detrimentum certum fuerit, debet Ordinarius ecclesiae paroeciali omnino consulere ; si vero dubium sit detrimentum, fit ei a iure facultas rem dirimendi de bono et aequo et opportunas normas praescribendi ad utriusque ecclesiae commodum tutandum.

Can. 483.

Si ecclesia, Ordinarii loci iudicio, ita a paroeciali distet ut paroeciani non sine gravi incommodo possint paroecialem ecclesiam adire ibique divinis officiis interesse :

1. *Loci Ordinarius, gravibus quoque statutis poenis, potest rectori praecipere ut horis populo commodioribus officia celebret, fidelibus dies festos ac ie-*

iunia denuntiet et catecheticam instructionem et Evangelii explicationem tradat ;

2. *Parochus potest ex eadem sanctissimum Sacramentum, inibi ad normam can.* 1265 *forte asservatum, pro infirmis desumere.*

1. *Si ecclesia*, etc. — Si ecclesia rectorialis multum distet a paroeciali in cuius territorio sita est, ita ut paroeciani, ad grave incommodum vitandum, in ecclesia rectoriali divinis officiis interesse cogantur, tum iura quaedam peculiaria, propter utilitatem publicam, Ordinario atque parocho a iure tribuuntur. Et in primis iudicium inappellabile de existentia aut minus gravis incommodi, de quo supra, ad Ordinarium pertinet.

2. *Loci Ordinarius*, etc. — Itaque, gravi incommodo existente, facultas fit Ordinario praecipiendi rectori : — 1) Ut horis populo commodioribus officia divina celebret. — 2) Ut fidelibus dies festos et ieiunia denuntiet et Evangelium aut aliquam doctriuae christianae partem populo explicet. Sane divina officia in populi commodum fiunt : ideo namque sacrae aedes erectae, ideo sacerdotium divinitus institutum. Hinc ne in ecclesia quidem rectoriali decet eo tempore officia celebrari, quod populo incommodius evadit. At, salvis fundationis legibus, loqui non possumus de stricta hac in re rectoris obligatione : non enim ecclesiarum rectoribus, qua talibus, sed parochis cura animarum ratione officii commissa est. Sed post Ordinarii iussum stricta obligatio in rectore quoque exurgit, adeoque stricta, ut possit Ordinarius in rectores inobedientes graves poenas statuere, nempe suspensione non exclusa. Quonam iure ? Eodem profecto iure, quo, per facultatem a can. 1345 expresse sibi factam, praecipere potest, ut lege Evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae populo explanandae, teneantur non solum sacerdotes e clero saeculari, sed etiam religiosi, exempti quoque, in suis ipsorum ecclesiis : nempe tanquam ad partem actionis liturgicae cum potestatis ordinis exercitio arcte coniunctam. Ad id proinde etiam rectores ecclesiarum obligari possunt. Unde Benedictus Pp. XIV (ep. encycl. *Etsi minime*, 7 febr. 1742, § 14), ex quo haec canonis pars desumpta esse videtur : *Sitae quandoque sunt in agro parvae humilesque ecclesiae, aliae parochiali proximae, aliae vero longo intervallo disiunctae, ad quas diebus festis patresfamilias una cum liberis accedunt, sacerdotem sacris operantem audituri ; ex quo fit, ut suae parochiae nunquam fere intersint, nec ullum de mysteriis fidei, de praeceptis, de sacramentis verbum accipiant. Episcopus huic malo occurret suamque obiiciet auctoritatem..... Quo vero ad parvas ecclesias a parochiali longe sepositas, cum difficile admodum sit, parochianos, ob locorum distantiam, longum iter atque asperum, hiemali praesertim tempore, cum pluviae inundant, parochialem adire ibique divinis officiis interesse, relicta ecclesia proximiore : decernat Episcopus, gravibus etiam statutis poenis, quod sacerdotes ibi ope-*

rantes christianae doctrinae summam populo tradant divinamque legem annuncient. — Sed praeterea, gravi, de quo supra, existente incommodo (quod non solum fidelibus, sed profecto etiam parocho in exercitio ministerii suffragari debet), facultas a iure parocho conceditur sanctissimum Viaticum (si ex indulto apostolico ad normam can. 1265 § 2 ibidem asservetur) ex ecclesia rectoriali pro infirmis desumere.

Can 484.

§ 1. *Sine rectoris vel alius legitimi Superioris licentiâ saltem praesumpta, nemini licet in eclesia Missam celebrare, Sacramenta ministrare aliasve functiones sacras peragere; haec vero licentia dari vel negari debet ad normam iuris.*

§ 2. *Quod attinet ad conciones in ecclesiis habendas, serventur praescripta can.* 1337-1342.

1. *Sine rectoris*, etc. — Rector, salvis fundationis legibus, habet plenam administrationem ecclesiae rectorialis. Quare nihil omnino fieri potest intra fines eiusdem ecclesiae connexorumque locorum, sine licentia, saltem rationabiliter praesumpta, rectoris : proinde non Missam celebrare, non sacramenta ministrare vel quamlibet sacram functionem peragere.

2. *Vel alius legitimi Superioris*, etc. — Verba haec canonis videntur referri ad § 3 can. 480, vi cuius rector ecclesiae cum Seminario aliove collegio, quod a clericis regitur, coniunctae, est ipse Superior Seminarii vel collegii ; sed praeterea referri videntur ad quamcumque personam, quae in rectorem ecclesiae auctoritatem exerceat, ac proinde eadem agere possit ac ecclesiae rector et amplius : veluti Ap. Sedis Legatum, loci Ordinarium, Vicarium generalem, etc.

3. *Quod attinet ad conciones*, etc. — Can. 1337-1342 universa disciplina continetur, quae servanda est a Capitulis, parochis, Superioribus atque Antistitis religiosis antequam clericum invitent ad conciones habendas in ecclesiis sibi commissis ; eadem disciplina adamussim servanda quoque est ecclesiarum rectoribus.

Can. 485.

Rector ecclesiae, sub auctoritate Ordinarii loci servatisque legitimis statutis ac quaesitis iuribus, debet curare seu advigilare ut divina officia ad sacrorum canonum praescripta ordinate in ecclesia celebrentur, onera fideliter adimpleantur, bona rite administrentur, sacrae supellectilis atque aedium

sacrarum conservationi et decori prospiciatur, et ne quidpiam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnet.

1. *Sub auctoritate Ordinarii*, etc. — Saepe reperiuntur in paroeciarum territorio ecclesiae, ab ecclesia paroeciali omnino dependentes (ecclesiae *filiales*) quae, vel per parochum ipsum vel per vicarium cooperatorem aliumve clericum, parochi vice ac nomine administrantur. Huiusmodi ecclesiae nihil habent videndum cum ecclesiis rectorialibus, quae a paroeciali nullimode dependent quarumque rectores sub immediata Ordinarii auctoritate agunt. Hinc can. 1341 *ecclesiam paroeciali subiectam* aperte distinguit ab *ecclesia parochi auctoritati non obnoxia*.

2. *Servatisque legitimis*, etc. — Nomine legitimorum statutorum hic veniunt leges fundationis decretaque Ordinarii dioecesani sive synodalia sive extrasynodalia, quae potestatem atque abligationes respiciunt rectorum ecclesiarum. Nomine vero iurium quaesitorum veniunt iura, sive a rectore sive contra rectorem legitime quaesita per conventionem, privilegium, consuetudinem, praescriptionem.

3. *Debet curare seu advigilare*, etc. — Curare, nempe, ipse rector per se ; advigilare vero ut alii, quibus huiusmodi obligatio incumbit, facienda curent ea ad quae iure tenentur : prout obligatio vel rectorem respicit vel alias personas. Cetera clara.

Can. 486.

Rectorem ecclesiae, etsi ab aliis electum aut praesentatum, Ordinarius loci removere ad nutum potest ex qualibet iusta causa ; quod si rector fuerit religiosus, servetur, circa eius remotionem, praescriptum can. 454, § 5.

1. *Rectorem ecclesiae*, etc. — Munus rectoris ecclesiae amitti potest, sicut quodlibet officium ecclesiasticum, ad normam can. 183, § 1. Inter alias causas amissionis est remotio ab Ordinario facta. Quocirca animadvertit Legislator, factum electionis aut praesentationis rectoris non minuere libertatem Ordinarii praesentatum aut electum *ad nutum* removendi. Quod quidem ad regulam generalem pertinet et quoad omnia officia ecclesiastica locum habet : ius namque eligendi electione, ius vero praesentandi exhauritur praesentatione secuta, ita ut qui per electionem vel praesentationem officium ecclesiasticum adeptus fuerit, a momento, quo post canonicam institutionem vel confirmationem aut admissionem (cfr. can. 148, § 1) plenum ius in officio obtinuerit, quoad conditionem iuridicam ei omnino aequiparetur, qui officium obtinuit per liberam collationem. Jis autem, qui vel elegerunt vel praesentaverunt, nullum amplius ius supe-

rest, nisi recipiendi opportuno tempore ab Ordinario removente notitiam vacationis officii (cfr. can. 161 et 1457), ut possint ad novam praesentationem vel electionem procedere. Potest tamen huic Ordinarii libertati, removendi ad nutum rectores ecclesiarum, lex fundationis obstare aut privilegium apostolicum, vi quorum vel rectoratus alicuius ecclesiae (praesertim si rectoria erecta fuerit in beneficium ecclesiasticum) declaratus fuerit officium inamovibile, vel ex. c. tale effectum, ut rector, quamvis amovibilis, non possit removeri nisi ad normam iuris, veluti servata forma processus remotionis parochorum amovibilium. Idque contra praescriptum can. 192, § 3, vi cuius, si agatur de officio amovibili (prout est natura sua rectoratus ecclesiae), remotio semper ab Ordinario (exceptis paroeciis amovibilibus) decerni potest de plano, nulla certa procedendi forma servata : canon enim nullam clausulam iuribus quaesitis derogatoriam continet.

2. *Quod si rector*, etc. — Si rector fuerit religiosus eodem iure censetur ac parochus religiosus, qui, ad normam can. 454, § 5, semper est, ratione personae (cfr. comm. ad eund. can.), amovibilis ad nutum tum Ordinarii loci tum Superioris religiosi, alterutro monito, sed nunquam eius consensu requisito.

348.1
T 64
28702
28702
TOSO, ALBERT
AUTHOR ad Codicem Juris Canonici
Commentaria Minora
TITLE Lib. 2 : De Personis
P. 1 - tome 3
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
DEC 12 1986
28702